5

DE

YMPODIA

SEU MONSTROSITATE SIRENIFORMI,

UM ANATOMICA EJUSMODI MONSTRI DESCRIPTIONE,

DISSERTATIO INAUGURALIS,

quam

summis in arte medica honoribus rite obtinendis publice defendere studebit

auctor

Mauritius Marcus Levy
Medicinæ Licentiatus et Chirurgiæ Candidatus,

respondente ornatissimo

Arnoldo Andrea Ahrensen
Medicinæ et Chirurgiæ Candidato,

die Maii, H. et L. S.

HAUNIÆ MDCCCXXXIII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ROBERTI.

L. B.

Hunc libellum dum publici juris facio, nil aliud, quod præmittam, habeo quam intimi animi vota, ut benigne atque indulgenter eum accipias, ne cadat omnis in me reprehensio, si intricatarum rerum minus dilucida videtur expositio et omnia veritati potius quam styli elegantiæ accommodata sunt. Præter solitas enim difficultates, in disquisitione atque descriptione cujuscunque gravioris monstrositatis superandas, duplex inprimis me vexabat sollicitudo, partim ne accuratioris examinationis studio ductus monstrum meum nimis deformarem vel destruerem, partim ut verborum perspicuitate defectum figurarum dilucidantium compensarem. Priorem quod attinet, aliunde mihi imposita est, ab alma nimirum Academia chirurgica nostra, cujus musæo monstrum adscriptum est, et cui, dum inquisitionem anatomicam pro solita sua humanitate lubenter mihi concedebat, curæ semper cordique esse debuit, ut forma eius, quantum fieri potuit, conservaretur. Alterum in-

Cap. III. De origine causisque Sympodiæ.

Introductio.

Uti rerum natura secum fert, longe serius homines normam in abnormibus quam abnormitates in normalibus inquirere studuere. Inde quoque factum est, ut monstrorum accuratior disquisitio, antea prorsus neglecta, proximis demum seculis propria habenda sit. Omnibus nimirum constat, quanto terrore et indignatione perculsi sint antiquiorum temporum homines rumore partus monstrosi: lugebat respublica, de numinis ira persuasa, pudebat patrem, et infamabatur mater, cujus amplexus cum Dæmone, Satana etc. vel bestiis varii generis inde perspicuus habebatur; monstrumque ipsum, quam primum fieri potuit, sub precibus piisque votis humo vel flammis traditum est. Dissipatis autem tenebris medii ævi, alius sensus terrorem excepit; magis jocose enim monstra considerabantur, summe admirabantur, quin interdum forma eorum externa describebatur, dum tamen et oculi et mentes intuentium haud parum nebula phantasiæ atque superstitionis obfuscatæ

erant.*) — Decimo autem octavo seculo cum philosophiæ lux splendorem suum omnibus litterarum disciplinis impertiret, etiam physiologis necessitas paulatim inculcata est, ut monstrosa illa naturæ phænomena uberius inquirerent, dum vanus judicaretur pristinus mos, quo jubente monstra, religiosissime conservata, curiosorum oculis præbebantur, ut ita lusus sic dictus naturæ omnibus pateret. Inde igitur factum est, ut cultro anatomico et saniori ratiocinationi submitterentur monstra, inde ut non solum ad monstrositatum originem dilucidandam structura eorum cum normali diligentius compararetur, sed quoque ut ex comparatione rite instituta plures deducerentur nutus ad evolutionem foetus ejusque singulorum organorum illustrandam. Hunc excelsum scopum respexerunt intentiones proximi atque hodierni ævi celeberrimorum virorum; sed, dum lubenter et gratissimo animo profitendum est, multa eademque magni momenti additamenta scientiæ nostræ horum clarissimis ingeniis tributa esse, haud negandum

*) Cui in talibus phantasiæ ludibriis oculos animumque depascere placet, præ aliis icones scriptaque Fortun. Liceti (De monstris, ex recensione Ger. Blasii. Amstelod. 1665. 4to) commendo, ubi inter multa alia monstrosa monstra etiam Sireniformia pauca delineata inveniuntur; quorum tamen, profiteor, omnino nullam in sequentibus rationem habui.

tamen, longe plura adhuc eruenda restare, quorum multa quidem ejusmodi sint, ut animi vires nostras valde superent. Ut enim in embryogenia in genere sic quoque in prima formatione monstrorum nonnihil semper extra sphæram cognitionum nostrarum hæreat necesse est, ita ut tota scientia nostra tantum fragmentaria evadere possit. Fragmentariam dico, quia omnis scientia ex sensuali sola observatione emanare potest, atque hæc tum demum in evolutionis historia eruenda incipere valet, cum materia organica tantum evolutionis gradum assecuta est tantamque partium cohærentiam atque soliditatem, ut sensibus nostris percipi possit. Quod hucusque procedat, ad mysteria pertinet naturæ. — Neque tamen hacce limitatione virium nostrarum absterreamur, quo minus veritati, quam maxime fieri potest, appropinquemur, bene memores quidem, quamquam sine ratiocinatione nullus oriatur intellectus, sine scientia tamen omnem ratiocinationem falsam evadere. Ut autem amplificetur scientia nostra, natura semper denuo adeunda, et, quæ nobis præbet, diligentissime observanda et colligenda sunt, ut ex iterum iterumque repetita experientia maturiores tandem nobis hauriantur fructus. Quo rariora igitur phænomena, eo cariora quoque, quo accuratius inquisita, eo pretiosiora sunt. Quamobrem omnis monstri descriptio nobis grata sit oportet, eandemque ob causam spero fore, ut casus hisce pagellis memoriæ proditus, ad rarissimam mon-

strorum speciem pertinens, haud omni pretio destitutus sit.

Cum autem, unici foetus anatomica descriptione haud contentus, typum magis generalem monstrorum Sireniformium statuere cuperem, necessarium duxi, omnes huc spectantes observationes colligere, perpendere atque comparare; unde indolem quoque et originem hujus monstrositatis facilius forsan erui posse speravi. Atque ita sponte quasi opusculum meum in tria dilabitur capita, quorum in primo monstrum meum anatomice descripsi, secundo conspectum parallelum aliorum observationum tradidi, in tertio denique originem causasque monstrositatis Sireniformis paucis illustrare conatus sum.

Caput primum.

§. 1.

Monstrum, cujus historia nativitatis omnino latet, ultra vicennium spiritu vini in musæo Academiæ chirurgicæ regiæ conservatum, videtur, si capitis dimensiones, crinium longitudinem copiamqve, ungues atque superiorum corporis partium perfectam evolutionem respicimus, debito gestationis termino natum esse.

Qvod ad habitum ejus externum, caput, collum, pectus atque abdomen supraumbilicum sat normalia videntur; funiculus umbilicalis, justo loco inhærens, duo tantum vasorum ostia præbet, inferior autem abdominis portio, solito paululum magis contracta et ad ilia angustior, sensim coarctata abit in partem quandam quodammodo pyramidalem, utriusque cruris locum occupantem. Qvod quo melius eluceat, primum anterioris dein posterioris faciei imaginem exponere liceat. A parte anteriore et inferiore, unius et dimidii pollicis ab umbilico distantia, levis observatur sulcus vel plica cutanea transversim fere decurrens, et sesqui linea inde eo loco, quo in statu corporis normali symphysis observatur ossium pubis, prominentia sentitur ossea, nullo tamen ad latera manifesto vestigio ramorum horizontalium ossium pubis. Inde immediatim abit cutis in partem inferiorem monstrosam. A parte posteriore transversa quædam ruga columnæ vertebralis pelvisque fines indicat, infra qvam in suprema regione sacrali paululum magis sinistrorsum lobulus aliquis carnosus, cuti concolor, propendet, quatuor circiter lineas longus, totidem latus, uniusque fere crassitudine, nullibi perforatus. Nates, si ita dicendæ, complanatæ neque ullo indicio neque orificii ani vestigio distinctæ, dum cutis immediatim in posteriorem superficiem tendit partis corporis inferioris caudatæ. Hæcce igitur inferior corporis pars, ex medio infimo trunco continua

protensa, formam pyramidalem quodammodo refert, ita ut origine sua latior sensim coarctata atque attenuata in obtusum denique apicem excurrat, et anterior ejus superficies, juxta longitudinalem tractum quidem concava, ab uno tamen ad alterum latus planior sit, posterior vero ubique convexa appareat. Longitudo ejusdem a promontorio osseo in regione pubis palpabili ad apicem usque antroflexam tractu incurvo 5'' 9''' æquat, dum latitudo initio 2'' 8''' sensim decrescit, usque dum in apicem tenuem terminatur. In superiori caudæ extremo aliqua adest articulatio, qua antrorsum flecti et ad latera opposita moveri possit, tamque abnormis est partium constructio, ut hujus qualemcunque motum sequatur deformis pelvis. Alius articulus in inferiore parte ipsius caudæ sentitur, quo extremum ejus inferius antrorsum solum flectere licet, atque hoc denique excipit appendicula tenuior, nullam manifestam substantiam osseam continens, digiti vero formæ atque longitudinis et in acutum atque cartilaginosum quasi finem desinens, cujus in posteriore facie unguicula cornea conspicua est. In media superiore parte ipsius extremitatis pyramidalis, quam brevitatis et similitudinis causa passim caudam nominavimus, anterior ejusdem superficies, cæterum haud plicata, distantia 1'' 10''' ab umbilico foveam exhibet parvulam, latera versus elliptice extensam, cujus in medio sinu papilla quædam cutanea minutissima, ambitu parum elevato circumdata, eminet.

aliam cohærentem papillulam quasi accessoriam in fundo foveæ obtegens et facile ideam commovens de genitalibus externis, quorum alia vestigia hocce debito loco omnino deficiunt.

Extremitas superior sinistra normalis ut humerus dexter, antibrachium vero dextrum solito brevius manum portat plane distortam, ita ut vola manus extrorsum atqve retrorsum spectet, dorsum vero ad interiora vergat, quasi in statu summæ pronationis. Digitorum quatuor naturales unguibus corneis perfectis ornati sunt, pollicis vero nullum aliud indicium ac minutissima papilla cutanea invenitur.

Qvoad dimensiones totius corporis notandæ sunt

Longitudo a vertice ad apicem caudæ, linea inflexa, ...	16″ — 6‴	
. . . . . . ad umbilicum	9″ — 2‴	
Latitudo inter humeros	4″ —	
Pondus infantis	4 ℔	

§. II.

Omnium partium aberrantium historiam daturus, descriptionem meam inchoare cogor, ubi inquisitionem finivi; ossium scilicet a naturali abhorrens exhibenda est figura, atqve eorundem inter se describenda est conjunctio, ut promtius ea intelligantur, quæ in musculis aliisque organis deformata sunt. Qvod si minus clare et dilucide

factum est, habeo, qvo me consoler, quod nempe in causa sit ipsius rei describendæ æque mira intricatio quam mei describentis culpa.

Ossa capitis tam ad figuram quam ad conjunctionem sunt ut in foetu recens nato naturalia. In trunco vertebræ dorsi cæterum normales tredecim inveniuntur et qvinqve vertebræ lumborum, quarum tertia et quarta tum corporibus tum arcubus concretæ confluunt, ita tamen ut in arcuum parte posteriore stria cartilaginosa transversa locum concretionis indicet. — Costæ in dextro latere duodecim, naturæ plane convenienter constructæ, in sinistro autem quatuordecim, quarum prima capite suo sinui inhæret septimæ vertebræ colli atque inde procedens antrorsum flectitur et sensim extenuata in spinam abit aculeatam, qvæ ad mediam claviculam deficiens nec ad sterni cartilaginem exporrecta robustis fibris ligamentosis cum secunda costa connectitur; insequentes septem veræ apparent costæ, quas quinque spuriæ excipiunt.

Pelvis haud parum deformata, quare singulæ ejusdem partes magis speciatim considerandæ sunt. Os sacrum, ab anteriore et utraqve laterali parte ubiqve cartilaginea, quinque continuas quidem sed nucleis ossificationis*) sat distinctas tamen exhi-

*) Cum salva integritate ossis sacri interiora ejusdem puncta ossificationis ubique inquirere non liceret, horum numerum constituere nequeo.

bet vertebras spurias, descendendo sensim decrescentes, et tria in utroqve latere foramina sacralia antica. Attamen duæ tantum supremæ vertebræ solito modo ossibus ilium intersitæ sunt; inde enim os sacrum, mutata normali directione, ita retrorsum et parum sinistrorsum incurvatur, ut anterior ejusdem superficies arcuata et convexa inferior evadat, atqve extremum ejus inferius in posteriore trunci facie ad imos lumbos alte emineat, eodem nempe loco, ubi lobulus propendens in externa cute conspicuus erat. A parte posteriore infra arcus ultimæ vertebræ lumborum sat regularis in utroque latere observatur arcus osseus primæ vertebræ spuriæ ossis sacri, quem alius minor excipit arcus cartilagineus, vix ab utroque latere conveniens, et huic qvasi membranosum rudimentum tertii atqve infimi arcus supponitur. Infra hoc reclinatus ossis sacri finis hiatum sistit, qvi, spinæ bifidæ speciem referens atqve medullæ spinalis extremum continens, ejusdem meningibus ita investitur, ut per eundem in lobulum cutaneum egredientes sacco coeco ibi determinentur. Ipse hiatus figuram omnino irregularem, latiorem tamen ab uno in alterum latus, exhibens, sursum membranoso arcus infimi indicio, deorsum margine inferiore corporis ultimæ vertebræ spuriæ, et latera versus duabus limitatur eminentiis osseis, processibus transversis absque dubio analogis, quarum dextra major planiorem validumqve format processum, ex ipso canali spinali quasi uncinatum

reflexum, supra qvem foramen sat amplum, infimum ut videtur sacrale posticum, indagatur, nervum glutæum dextrum transmittens. In tota latiore sua facie laterali os sacrum ligamentorum ope cum postrema parte internæ ossis ilii superficiei arcte cohæret.

Ossa ilium, justæ magnitudinis, non ut solent interne excavata, sed plana magis atque antrorsum convexa ad perpendiculum fere descendunt; ossa pubis sub angulo minus obtuso quidem invicem ad normam conveniunt; sed ex symphysi rami eorum descendentes uti continui adscendentes ossium ischii horumqve ad spinam ischii usqve rami descendentes, cæterum naturaliter conformati, ab utroqve latere synchondrosi qvadam connectuntur, ita ut cavum pelvis inferne omnino occludatur, unica tantum latior appareat tuberositas ossium ischii, et interna superficies corporis ramiqve descendentis ossis ischii, aliàs magis perpendiculariter decurrens, jam ex utroque latere transversa via convergens, antrorsum spectans ipsum cavum pelvis respiciat.

Cavum pelvis justo longe angustius, antrorsum parum rostratum, fundo suo omnino occlusum invenitur; in anteriori cæterum pelvis parte ambo sat normalia hiant foramina ovalia, dum in posteriore inter conniventes margines posteriores corporum ossium ischii atque anteriorem reflexam ossis sacri superficiem parum cordiformis patet apertura major, ex utraque confluente incisura ischia-

tica constituta. Acetabula, ut solent, ad latera pelvis consita sunt, et cavo suo parum oblongo paululum retrorsum, maxime vero recte deorsum spectantia, capita femorum excipiunt, quibuscum normali ligamento capsulari atque tenuissimo ligamento terete conjunguntur.

Ossa femorum, minus forma quam situ aberrantia, anteriorem superficiem retrorsum, posteriorem ad anteriora vertunt, ita tamen, ut hæcce inversio maior sit in superiore ac in inferiore illorum extremo, ubi anterior superficies simul cum patella potius ad exteriora, posterior facies triangularis magis ad interiora spectat. Superne utrumque femur, ab altero plane distinctum, caput exhibet externe et sursum prominens, cui in posteriore corporis facie, latiore sulco quasi collo intermedio, trochanter intus cohæret maior, qui totus cartilagineus amplam et convexam præbet faciem posteriorem, minorem fossam anteriorem, et libero margine suo interno per firmissimam substantiam ligamentosam cum illo alterius femoris ita connectitur, ut inter utrumque trochanterem maiorem quasi pons transversim sistatur, sub quo decurrit nervus ischiaticus. Ab anteriori corporis facie infra caput et versus interiorem partem ipsius femoris osseus apparet trochanter minor, atque inde os femoris cæterum sat normale ad inferius sui extremum tendit, ubi epiphysi sua cartilaginea inferiore excipitur. Hæc eo magis notanda, quod ambobus ossibus femorum communis

est, quæ ejus ope inferne conjuncta sunt ita, ut, utroque condylo interno in unum confluente, in ima superficie epiphyseos in suo quisqve latere permagnus quidem inveniatur condylus externus, medius autem unicus tantum condylus minor, foveæ mediæ extremitatis superioris tibiæ plane redaptatus.

Patellæ duæ, invicem longe distinctæ, suo qvæqve condylo externo inhærent, in anteriore vel exteriore femorum, posteriore igitur corporis facie collocatæ; forma earum subrotunda est, compressa, ita ut superficies articularis, capsulæ articulari obversa, plana sit nec ut solet eminentia media gibba. Ligamenta patellæ et superiora et inferiora ad normam constituta sunt; ligamentum autem capsulare genuum utrique femori commune unicum tantum adest, utrumque femur condylosque tibiæ ambiens et normalia ligamenta cruciata simul cum uno in utroque latere cartilagine semilunari includens.

Anticrus unico constat deformi osse tibiæ, eadem ratione ac femora, quibus per ligamenta naturaliter connectitur, inverso et leviter insuper versus anteriora reflexo. Hujus extremitas superior latior crassiorque quasi condylos duos continuos sistit, quibus cartilaginea insidet epiphysis, quæ in summo vertice tres insculptos gerit sinus, externos duos majores et minorem medium, ad totidem ossium femorum condylos recipiendos. Infra condylos tibia sensim coarctata duas ante-

riorem et posteriorem, exhibet superficies, quarum illa, respectu corporis posterior, juxta longitudinalem tractum convexa, ab uno autem ad alterum latus excavata est: haecce, ratione corporis habita anterior, descendente decursu suo concava, ad latera ex eminente media longitudinali crista convexe declinat. Inferior tibiæ extremitas prominentibus duabus spinis osseis terminatur, quibuscum cartilaginosum extremum digitale intime cohæret, quod duorum fere pollicum longitudine et cylindricæ formæ decurrit, nullibi transcissione punctula ostendens ossificationis, sed semipollicis circa ab apice distantia articuli speciem continens, qua inferior particula cum superiori plane similari connectitur.

Sic delineata inferiore parte corporis, restat adhucextremitatum superiorum osteologica descriptio, quarum sinistra undique normalis, dextra autem a cubito usque ita deformata, ut inferius humeri extremum solito parum arctius, plane deficiente eminentia capitata, unam tantum ulnæ recipiendæ trochleam cartilagineam præbeat. Antibrachio, cum omne ossis radii desideretur vestigium, sola inhæret ulna, cujus extremitas superior olecrano et processu coronoideo rite instructa naturæ omnino convenit, nisi quod, ut ex defectu radii jam suspicari licebat, nulla inveniatur incisura sigmoidea minor. Corpus ulnæ tenuius justoque paulo brevius, toto decursu suo gravem exhibet curvaturam, ita ut quasi arcuatum

concavitatem antrorsum et retrorsum convexitatem vertat, dum angulis ejusdem obtusis unam anteriorem duasque posteriores distinguere licet superficies; inferne parum ovali terminatur epiphysi cartilaginosa, quæ, cartilagine triangulari intermedia, cum ossibus carpi absque manifesta articulatione laxe cohæret. Hæcce, duplici serie juxta normam disposita, defectum ostendunt ossis navicularis et multanguli maioris; in metacarpo autem digitisque ea sola observatur abnormitas, quod nullum pollicis osseum apparet vestigium.

---

§. III.

Sub cute ubiqve sat densus invenitur panniculus adiposus, quo dissecto musculi apparent, quorum in abdomine dorsoque constructio plane naturalis; in extremitate vero corporis inferiore musculi femorum, etiamsi pleriqve adsint, situ tamen haud parum inversi sunt, et infra genua pauca tantum musculorum rudimenta inveniuntur. Ut autem melius nobis succedat musculorum partis corporis inferioris expositio, primum anteriorem, dein lateralem et deniqve posteriorem intueamur faciem, ita tamen ut superficies anterior et posterior in descriptione semper intelligenda sit de trunco corporis, nec de contraria inversione ipsorum ossium femorum, ad qvæ musculi pertinent; qva postea uberius considerata elucescere

credo, musculos ossium inversionem ita secutos esse, ut, si quis utrumqve os femoris, dextrum sinistrorsum atqve sinistrum dextrorsum, ad anteriora et interiora rotaret, musculorum directionem et insertionem tunc fere normalem conspiceret.

Superficies anterior.

Remotis integumentis universalibus, cum fascia lata sat naturalis totam Caudam continua ambiens transscinderetur, mox in utroque femore duo deteguntur musculi longi, qui, adiposæ larga copia circumfusi, stratum efficiunt superficiale seu primum. Horum externus, capite brevi tendineo a spina ilei anteriore et superiore exoriens, corpus format musculare longum et ad inferiorem tertiam femoris partem in tendinem abit tenuiorem, qui pone condylum externum femoris tibiæque descendens cum tendine musculi insequentis congreditur in tendinem communem, qui in duas iterum dividitur portiones, quarum altera circa marginem lateralem tibiæ flexa in posteriore ejusdem superficie inseritur, altera, juxta marginem tibiæ decurrens, in infimo ejus extremo affigitur atque ita flexoris cruris vices gerit.

Intra hunc in utroque femore alius occurrit musculus longus, sat latus et formæ nonnihil compressæ, ita ut alter eius margo magis ad anteriora et exteriora, alter introrsum et retrorsum spectet, altera ejusdem superficies ad interiora et anteriora, altera magis extrorsum et retrorsum

vergat. Oritur tendine brevi sed lato crassoqve a ramo descendente ossis ischii, unde tractu ab illo oppositi lateris nonnihil divergente descendit et ad inferiorem extremitatem femoris in tendinem graciliorem transit, qui, juxta et intra tendinem musculi nuper descripti pone condylum externum femoris tibiæque decurrens, cum eodem tendine denique confluit.

Patet igitur ex origine, figura et insertione, musculum priorem sartorium, posteriorem gracilem habendum esse.

Ablatis hisce superficialibus musculis, in strato profundiore, si ab exteriore parte lineam mediam versus progredimur, in summo femore uterque normalis observatur tendo psoæ atque iliaci interni, qui, musculos plane naturales excipiens et pelvi egrediens, ad interiora et paulo retrorsum descendit et trochanteri minori affigitur. Huic arcte adhærens fasciculus adjacet carneus, qui a spina ilei anteriore et inferiore exordiens atque juxta externum marginem tendinis iliaci interni decurrens cum eodem in trochantere minore inseritur. Intra illum tendinem musculus pectinæus omnino regularis apparet, et ab hujus interiore parte tres inveniuntur adductores, longus, brevis et magnus, qui et origine, insertione et fibrarum directione naturæ plane convenire videntur. — Mox infra trochanterem minorem a superiore parte lineæ asperæ ipsiusque ossis femoris musculus oritur latus, qui initio fibris rectis, in descensu radiatim leviter

diductis, ad finem denique iterum magis contractis decurrit, atque ad inferiorem femoris partem, anteriore facie relicta, externo ejusdem lateri circumflectitur et in infima posteriore facie cum musculo recto femoris vastoque externo intime connexus in tendinem communem abit, qui circumferentiæ patellæ superiori inhæret. Hunc igitur musculum pro vasto interno statuere vix quisquam dubitaret.

Qui hucusqve commemorati sunt musculi, dum in utroque latere, utrique igitur femori symmetrici conveniunt, lineæ mediæ proximi collocati sunt musculi tres, quorum duo ad sinistrum, unicus ad dextrum pertinent femur. Duorum alter sat longus, origine valida tendinea a tuberositate ossium ischii incipiens, inde corpore parum complanato ad inferiorem extremitatem femoris descendit, ubi in tendinem longiorem subrotundum abit, qui, pone condylum externum femoris sinistri tibiæque decurrens, cum tendinibus sartorii gracilisque in unum congreditur; atque ita indubitatim semitendinosus hicce musculus existimandus. Alter, pro parte quidem illo obtectus, musculum sistit latissimum planumqve et musculo adductori magno tam arcte connexum, ut primo intuitu ejusdem portio facile æstimari possit. Originem ejus quasi membranaceam latam ad tuberositatem ossium ischii persequi licet, unde interiori lateri adductoris magni proxime adhærens ad medium usque femur descendit, inde

demum in corpus carnosum transiens, quod anteriori sua superficie excavata tanquam sulco carneo superjacentem semitendinosi continet tendinem. Pone condylum internum femoris musculus iterum tendineus evadit, ita ut tendo ejus latus crassiorque, initio tendini adductoris magni connexus, dein ab illo separatus pone condylum tibiæ descendat et magis extrorsum flexus juxta marginem tibiæ in posteriore ejusdem superficie inseratur. Nonne musculus videtur semimembranosus sinister?

Dextro femori unicus tantum illorum trium musculorum obvenit, qui latissimus summeque planus brevi exoritur tendine a tuberositate ossium ischii atque inde juxta internum latus musculi adductoris magni ad condylos usque femoris sui descendit, ubi in tendinem abit validum latumque, qui mox infra condylum tibiæ insertus paucas quasdam edit fibras, ad lateralem tibiæ marginem tendentes, aliasque sursum ligamenti poplitæi more conversas. Haud injuste igitur hicce musculus semimembranosus dexter suspicandus, plane deficiente semitendinoso dextro.

Tertium denique idemqve profundissimum stratum in utroqve latere musculus sistit obturatorius externus, qui, solito modo membranam obturatoriam investiens, ad externam et inferiorem ejusdem partem tendinem efficit graciliorem, qui extrorsum atqve sursum spectans circa inferiorem acetabuli partem ad trochanterem maiorem flectitur, cujus in fossa inseritur.

Latus externum.

Infra cutem in ipsa fascia lata musculus tensor ejusdem normæ omnino conveniens conspicuus est, quo simul cum fascia ablato, musculus apparet amplus, pennatus, qui, brevi sed lato et parum arcuato tendine a spina ilei anteriore et inferiore atque superiore parte supercilii acetabuli exoriens, corpore suo penniformi externum femoris latus ita obtegit, ut fibræ, ex media longitudine utrinqve obliqve descendentes, ad inferiorem tertiam femoris partem in tendinem validum colligantur, qui in posteriorem caudæ superficiem reflexus cum tendinibus musculi cruræi et utriusqve vasti confluit, arctius tamen vasto interno cohærens, atque ita patellæ inseritur. Manifeste igitur musculum rectum femoris invenimus. — Huic suppositus alius indagatur musculus, absque dubio cruræus, qui aponeurotica origine a latere externo ossis femoris mox infra ejusdem caput incipiens corpus sistit musculare latissimum, quod ubique ossi adhærens ad infimam usqve femoris partem descendit, ubi, cum vasto interno intime connexus, in tendinem communem extensorum cruris congreditur.

Superficies posterior.

Posteriore extremitatis caudatæ superficie cute ubiqve orbata, in summa ejusdem parte validus latusqve apparet musculus impar, qui supe-

riore, latiore et nonnihil excavato margine a spina posteriore et inferiore ilei sinistri et, dum aperto extremo ossis sacri circumflectitur, simul a processu dextrorsum eminente laterali ossis sacri exoritur. Ab haccc inde origine musculus fibris radiatim divergentibus descendit, dum margines ejusdem laterales sensim invicem ita approximantur, ut in apicem inferiorem conveniant, qui interstitium utriusqve trochanteris majoris obtegens in fascia lata denique inseritur. Quem musculum vix temere confluentem utrumque glutæum maximum nuncupare licet.

Hocce pro parte quidem coopertus alius in utroque latere observatur magnus validusque musculus, qui a labio externo totius cristæ ossis ilei, in sinistro latere ad spinam usque posteriorem et superiorem in dextro simul a prominentia laterali ossis sacri exoritur, et inde ossi ilii inhærens fibris obliquis introrsum atque deorsum tendentibus descendit, usque dum margine inferiore, ejusdem cæterum latitudinis, basi trochanteris majoris affigitur. Ubique hicce musculus fascia lata obvelatur, quæ anteriori ejusdem parti tam arcte cohæret, ut absque fibrarum dilaceratione inde dissolvi nequeat. En sine dubio confluentes in utroque latere musculi glutæus medius et minimus.

Tota posterior utriusque femoris facies duobus tantum symmetricis occupatur musculis, singularis crassitiei atque latitudinis, quorum quisque

brevi latoque margine aponeurotico ab imo trochantere majore exoritur atque inde mox corpus musculosum formans, alter juxta alterum, vasis solum nervisque invicem distincti, ad infimum sui femoris extremum decurrit, ubi in utroque latere cum tendinibus aliorum extensorum cruris congrediens tendinem sistit communem, in tota circumferentia superiore patellae insertum. Vasto externo igitur huncce musculum simillimum esse, vix quisquam denegaret.

Profundius sub musculis glutæis latentes collocati sunt in utroque latere tendines musculorum obturatorii interni et externi uti in sinistro pyriformis; simul autem dexter et sinister invenitur musculus geminus, qui a sua quisque parte tuberositatis ossium ischii exordiens, convergentibus fibris transversa via extrorsum tendit, ubi cum tendine obturatorii interni conjunctus in fossa trochanteris maioris insinuatur.

Cum ibi musculos illos interiores pelvis jam denominaverim, haud alienum forsan videtur, hocce loco pauca eorum verba facere. Obturatorius igitur internus, solito modo membranam obturatoriam obducens, ad posteriorem et inferiorem huius partem fibras suas in unum colligit tendinem, qui e foramine ischiatico egrediens cum tendine musculi gemini cohæret ejusque insertionem sequitur. Musculus pyriformis autem unicus tantum adest, e media convexa anteriore superficie ossis sacri exoriens, unde retrorsum pone et infra nervum ischia-

ticum per foramen ischiaticum descendit, atque versus sinistrum femur tendens fossæ ejusdem trochanteris majoris, paulo supra tendinem illum communem, de quo nuperrime diximus, affigitur.

Ex hacce igitur musculorum femorum delineatione patere credo, plerosque quidem adesse, origine, structura et insertione haud multum a natura aberrantes, neqve multo aliter situ et fibrarum directione commutatos quam ut, rotatione utriusque ossis femoris ad anteriora et interiora rite instituta, ad solitam normam fere reverterent.

Anticrus autem quoad musculorum evolutionem longe imperfectius; dum enim in posteriore (proprie anteriore) ejusdem facie nonnisi massa quædam cellulosa — adiposa, fibris omnino destituta, infra cutem apparet, in anteriore sat magnus invenitur musculus, totam tibiam obtegens, qui capite lato carnoso infra condylos tibiæ exoritur, ita ut origo ejus quasi duabus lineis, oblique deorsum atque extrorsum divergentibus, limitetur. Inde musculus fibris parum convergentibus ad inferius tibiæ extremum decurrit, ubi in tendinem abit fortiorem, qui in cartilaginoso extremo digitali descendens in ejusdem velamento aponeurotico diffunditur. Nonne hocce musculo confluens uterque musculus solæus indicari videtur?

Hæcce igitur de musculorum partis corporis inferioris constructione sufficiant. In extremitatibus autem superioribus nonnisi in humero atque antibrachio dextro musculos inquisivimus, quorum,

ut suspicari licebat, defuere pronatores atque supinatores omnesque musculi proprii pollicis; reliqui vero, directione sua distorsionem manus sequentes, insertione eousqve tantum a norma aberravere, quod qui a radio exoriri in eoque inseri solebant, jam ulnæ omnes affigebantur. Pauca hæcce satis sunto de abnormitate musculorum brachii, quæ ad indolem monstrositatis nostræ minus pertinere videtur, et cujus uberior expositio atque delineatio, vix non superflua, facile tædium moveret.

---

§. IV.

Viscera monstri inquirentes, primum cruciata incisione adgressi sumus abdominis cavum, quod, ubique peritonæo normali obductum, varias oculo perscrutanti præbuit abnormitates, quæ optime ad tria referendæ sunt systemata, chylopoieticum nempe, uropoieticum et genitalium.

I. *Organa chylopoietica.*

Anteriore ventris pariete dissecto, tota inferior abdominis pars oppleta apparuit sacco membranaceo amplo, qui, coeco fundo regionem iliacam atque inguinalem dextram occupans, inde transversa via per regionem hypogastricam ad ilium sinistrum tendit, ubi in longe arctiorem S romanum immediatim propagatur. Hicce igitur saccus imperforatum intestinum rectum habendum

est, cujus structura reliquo canali intestinali simillima erat, et quod cavo suo largissimam meconii semiliquidi copiam continebat. — S romanum, colon descendens et transversum solito loco inhærebant, haud aliter ac volumine suo a norma aberrantia, quo intestina tenuia vix superabant; colon dextrum autem cum cocco intestino ejusque processu vermiculari, a normali sede remotum, gyris intestinalibus involutum in medio abdominis cavo consitum erat. — Intestina tenuia et ipse ventriculus naturæ ab omni parte conveniebant.

Hepar, inprimis lobus eius sinister, justam magnitudinem excedebat, ita ut sinister dextrum lobum volumine haud parum superaret. In inferiore ejusdem superficie vesica fellea cum ductu suo cystico plane desiderabatur, atque fossa anterior dextra, quam occupare solet, leviter tantum sulculo impresso indicabatur; contra autem ductus hepaticus et vasa hepatis normalia, quin ex arteria hepatica dextra ramus cysticus, quod notatu dignissimum, justo tractu ad sulcum pro deficiente vesica tendens, oriundus apparuit.

Lien et pancreas nil præternaturale offerebant, nisi quod pancreas, haud debito modo ad lien usque protensum, pone medium fere ventriculum desinebat.

II. *Organa uropoietica* omnino defuere, ita ut nullum nec renum, ureterum nec vesicæ urina-

riæ vestigium indagari posset; renes autem succenturiati sat ampli consuetum occuparunt locum, vasis large donati.

III. *Organa generationis.*

Genitalium externorum vix aliud indicium adfuit quam fovea quædam, cujus supra mentionem fecimus, cum papilla cutanea ibidem contenta. Cute autem dissecta, mox patuit, eandem papillam cum tenuiore cohærere quasi ligamentoso fasciculo, qui inter ambo femora medius ad symphysin ossium pubis tendens, ibi duplici tenuissimo crure utrique ramo descendenti ossis pubis insertus videatur. Ecce igitur manifestum penis imperforati rudimentum. — Scrotum nullum; sed in inguine dextro, ablata fascia superficiali Cowperi, detegebatur saccus quidam membranaceus quasi herniosus, ex annulo inguinali arctiori basi egrediens, qui, ut uberior partium inquisitio nos edocuit, productionem sistit peritonæi et superjacentis fasciæ transversæ per canalem inguinalem ad excipiendum et involvendum ipsum testem descendentem. Incisione apertus ille saccus nil nisi funem quendam ligamentosum crassum continebat, qui ad fundum ejus exoriens et juxta posteriorem parietem decurrens potius plica ejusdem obvelatus quam cavo ejus undique inclusus videbatur et canalem inguinalem transgrediens in infima ipsius testiculi parte inserebatur: absque

dubio igitur gubernaculum sic dictum Hunteri. In sinistro inguine nullum huius sacci analogon inventum est, dum ex annulo inguinali fasciculus tantum eminebat ligamentosus, qui externe abiens in tela cellulosa subcutanea terminabatur, interne vero per canalem inguinalem testem ipsum petiit, cujus in tunica peritonæali sive vaginali propria radiatim dispergebatur.

Testes igitur ambo adfuere, quorum dexter velamento peritonæali orbatus pone ligamentum Fallopii, mox supra et intra aperturam posteriorem canalis inguinalis collocatus erat, forma valde complanata, cæterum et epididymide et processu verrucoso juxta normam instructus, et inferne gubernaculo suo cohærens; sinister ab omni parte naturæ conveniens jam canalem inguinalem intraverat, ubi tunica sua vaginali laxe obtectus jacebat, et ipse gubernaculo suo ornatus. Hæcce partium conformatio etiam hanc ob causam notatu dignissima æstimanda, quod dum in dextro latere illorum sententia corroborari videtur, qui productionem peritonæalem, jam antequam descendat testiculus, scroto inesse contendunt, in sinistro contra aliorum confirmatur adversaria opinio, qua peritonæum simul cum ipso teste involuto descendere autumant.

Ab utroque teste vasa deferentia egrediuntur, transversa via versus columnam vertebralem conniventia, ubi pone saccum coecum intestini recti

in duriusculum parvum concurrunt corpus, triangularis nonnihil implicitæ formæ, ita ut facile in duas minutiores arcte cohærentes partes laterales separari possit; hujus ex latiore margine superiore plica exoritur peritonæi, qua intestino recto affigitur, ex inferiore magis acuminato extremo tenuior fasciculus ligamentosus conspicuus est, qui, deorsum et paululum retrorsum ad pelvim minorem tendens, in tela cellulosa diffunditur. Quo in corpore etiamsi nulla manifesta appareret cavitas, hydrargyrum tamen, alteri deferenti vasculo tubi ope injectum, per corpus illud intermedium in alterum abiit vas deferens, ita ut simultaneo tempore utraque impleretur epididymis, ne guttula quidem superiorem plicam peritonæi vel inferiorem fasciculum ligamentosum intrante. — Nonne igitur aliquo jure suspicari licet, utramque in unum concretam vesiculam seminalem statuisse corpus illud, quo intermedio vasa deferentia inter se communicarent? —

Cavum pectoris accuratissime perscrutatum nil præter normam exhibuit; neque cerebrum, multorum annorum mora haud parum quidem emollitum, præternaturale quidquam oculo perlustranti præbuit.

---

§. V.

Systematis arteriosi hæcce conspicitur dispositio. Arteriæ aortæ pericardio egressæ truncus cum ramis suis ad superiores corporis partes omnino normalis, itidem descendens sub membrana costas succingente intercostales arterias suppeditat atque sub diaphragmate pone peritonæum abdomen intrat. Ibi suo loco ramos phrenicos, arteriam coeliacam, meseraicam superiorem, dein complures arterias suprarenales et in quodque latus spermaticam internam emittit, deficiente plane arteria renali. Editis hisce ramis truncus aortæ immediatim in unicam abit arteriam umbilicalem, quæ quasi continuatio aortæ, ejusdem certe diametri, pone intestina tenuia decurrens sub coeco intestino recto antroflectitur et recta via ad umbilicum adscendit, dum semipollicis fere ab origine sua distantia cæterum normalem suppeditat arteriam meseraicam inferiorem. Quo loco autem aorta in umbilicalem arteriam propagatur, ex posteriore illius pariete ramus exoritur, qui decursu suo distributionem aortæ ad partes inferiores compensat. Trunculo enim suo, qui triplo minoris videtur diametri quam, a qua tegitur, continuatio aortæ in umbilicalem, ad latus sinistrum corporum vertebrarum initio pone dein intra venam iliacam sinistram descendit, quinque sparsim dimittens ramos lumbares, usque dum primam ossis sacri vertebram spuriam

attingens, edita arteria sacrali media, aortæ more in iliacas duas finditur. Harum dextra primo intra, dein ante atque denique extra venam suam progrediens solito modo in iliacam externam et internam dividitur, quarum hæcce contra normam longe minor; sinistra autem continuo cursu intra venam suam descendit, cæterum eodem modo bipartita.

Utraque iliaca interna ramum exhibet ileo-hypogastricum, ischiaticum et glutæum, dextra præterea obturatorium, dum sinistra autem arteria obturatoria e trunculo communi cum epigastrica a crurali sinistra proficiscitur; notatu denique haud indignum videtur, arteriam glutæam dextram una cum vena sua ansa quadam nervosa, ex ultimo nervo lumbari et primo sacrali in ischiaticum coeunte formata, includi atque inde eadem, qua abit sinistra, via per incisuram ischiaticam in musculos glutæos dispergi.

Arteria iliaca externa seu cruralis in utroque latere pelvem transgressa, editis arteria epigastrica, circumflexa ilei et femoris, femorisque profunda, in superiore et anteriore parte femoris inter adductorem longum vastumque internum apparet, unde suo quæque diversoque modo uberiorem cursum perseverant. Dextra enim, infra medium femur tendinem musculi adductoris magni perforans, in posteriore caudæ superficie supra condylos femorum inter utrumque musculum vastum externum emergit, ubi, dimissis dextro et sinistro

ramulo articulari, inter condylos femorum decurrit atque inde in duos abit ramos, quorum alter articulari inferiori simillimus condylum sinistrum tibiæ ambit, alter autem recta linea ad extremum usque digitale descendit, in cutem denique diffusus. Cruralis vero sinistra ad inferiorem femoris sui partem in duos maiores finditur ramos, quorum internus pone adductorem magnum decurrens, huic igitur ipsique ossi interpositus, in anteriore caudæ facie iterum emergit in medio interstitio inter inferiora utriusque femoris extrema, atque inde recta via tibiam transgreditur, usque dum in imo extremo digitali tenuissimus disparet. Ramus externus autem, tendini musculi sartorii suppositus, condylum externum femoris tibiæque transit atque juxta sinistrum marginem lateralem tibiæ descendens in cutem denique terminatur.

Ecce igitur in extremitate corporis inferiore systematis arteriosi distributio; in extremitatibus superioribus autem nil præter normam notandum videtur, nisi quod arteria brachialis dextra infra articulationem cubiti in tres dividitur partes, regulares nimirum arteriam radialem et ulnarem, solito modo decurrentes, et tertiam interosseæ simillimam, qvæ versus condylum externum humeri tendens ibidem ramum anteriorem edit, ad musculos antibrachii flexores descendentem, et posteriorem, qui externo antibrachii lateri circumflectitur,

in musculos extensores denique dispersus. Arteriæ radialis ad singulos digitos ramificatio qualis sit, ob incautam partium mollium læsionem affirmare vix audeo.

Systema venosum haud dissimili ac arteriosum modo a norma aberrat. In inferiore enim monstrosa corporis extremitate uti in pelvi minori venæ ubique tractum sequuntur arteriarum, usque dum omnes per venas crurales et hypogastricas in venas iliacas communes colliguntur, quarum dextra præterea venam sacralem mediam excipit. E confluxu utriusque iliacæ in regione tertiæ vertebræ lumborum vena cava inferior constituitur, quæ justa via adscendens e dextro latere tres venas lumbares, venam spermaticam atque suprarenalem excipit, e sinistro autem unam tantum venam lumbarem atque suprarenalem, in quam spermatica interna effunditur. Ex hacce vero sat ampla vena suprarenali sinistra, mox antequam in venam cavam abit, ramus haud parvus exoritur, qui parum arcuatus descendens atque superiores duas venas lumbares excipiens in venam iliacam sinistram insinuatur. Inferiores duæ venæ lumbares sinistræ in venam sacralem mediam confluunt, quæ a vena hypogastrica dextra proficiscens, ut nuperrime diximus, in iliacam dextram redundat.

Superior venæ cavæ inferioris pars uti vena portæ et vena cava superior normæ omnino convenit.

---

§. VI.

Nervis quoque inferior corporis pars vix parce ornata est; ex utroque enim plexu lumbari juxta normam oriundi atque decurrentes observantur nervus ileolumbaris, cutaneus externus, cruralis et obturatorius, quorum in sinistro latere cutaneus externus tendinem musculi sartorii perforat. — Nervus ischiaticus dexter infimo nervo lumbali atque duplici sacrali, sinister autem uno lumbali unoque sacrali constitutus, uterque in media anteriore superficie ossis sacri sub angulo parum acuto in unum amplissimum truncum confluit, qui per foramen ischiaticum supra musculum pyriformem eodemque obtectus pelvi egreditur, atque inter trochanteres maiores alte demissus infra massam ligamentosam, qua illi invicem arcte connectuntur, emergit, utroque musculo vasto externo coopertus. Inde diminuto sensim volumine recta via ad media usque femora descendit, atque jam, posteriore extremitatis inferioris facie relicta, in anteriore ejusdem superficie apparet, ubi extrema inferiora femorum intercurrens præter complures surculos musculares in utrumque latus ramum suppeditat maiorem, qui divergente tractu suum quis-

que tibiæ lateralem marginem petens in cutem denique diffunditur, dum truncus ipse, mediam tibiam transgressus, in imo extremo digitali tenuissimus terminatur.

In posteriore extremitatis inferioris superficie nervus ischiaticus, mox infra trochanteres emergens, ramum edit maiorem, qui ad mediam circiter femorum longitudinem superficialis evadit, atque inter margines interiores utriusque musculi vasti externi decurrens supra patellas in duos finditur divergentes ramulos, qui sub suo quisque patella in cutem desinunt.

In ipso autem cavo pelvis nervus ischiaticus sinister complures emittit ramulos, qui in unum collecti, foramen ischiaticum transeuntes, in musculos glutæos disperguntur, dum nervus glutæus dexter ex ipso canali spinali per infimum maius foramen sacrale posticum ad musculos suos egreditur.

Notatu denique haud indignum videtur, nervum sympatheticum magnum et thoracicum et abdominalem juxta normam omnino constructum esse, et ex plexu axillari dextro præter alios nervos etiam radialem, medianam et ulnarem solito modo decurrere; quorum uberior autem ad manus digitos ramificatio ob præmaturam partium mollium incisionem pro certo definiri vix potest.

Quod vero ad rariora ideoque notabiliora pertinet, est quod medulla spinalis, cæterum omnino

normalis, vix ut fieri solet ad summos lumbos in caudam equinam dispergitur, sed, multis ramis ex utroque latere oriundis circumfusa, ad infimam ossis sacri partem integra decurrit, ubi in hiatu posteriore, de quo supra diximus, extremum ejus apparet, dum meninges ejusdem in lobulum cutaneum, hiatum illum obtegentem, propagantur, sacco coeco denique terminatæ. Hæcce observatio eo magis respicienda, cum, rite monente *Meckel* *), retardatam indicare videatur evolutionem, quoniam longitudo tanta medullæ spinalis primæ embryonis vitæ aliâs propria habenda est.

---

*) *Handbuch der pathologischen Anatomie*, 1*ster Band*, *Leipzig* 1812, 8*vo*, *p.* 355.

Caput secundum.

Præmonenda.

Absoluta igitur anatomica monstri descriptione, maximi videtur momenti observata nostra cum aliorum conferre, ut inde pateat, partim quænam omnibus vel plerisque eiusmodi monstris communia statuenda sint, partim quomodo alterum præ altero magis minusve a norma aberret atque ita gradatim fiat transitus a summa monstrositate ad formam regularem. Ut enim in aliis speciebus monstrorum jam factum est, sic etiam in nostra vix dubitandum est quin confirmetur *Sömmeringi*[1]) illud effatum: "naturam vix in immensum ludere, sed in ipsa monstrositate ordinem atque gradationem quandam apparere." Huic disquisitioni tamen haud parum obstat cum raritas hujus speciei monstrorum tum, quod magis dolendum, inaccurata examinatio vel sola exterioris formæ descriptio eorum, quæ inveniuntur. Prima enim, fabulis *Liceti* aliorumque omissis, eiusmodi monstrorum exempla exhibuere *Hartmann* et *Hottinger*, quæ

1) *Abbildungen und Beschreibungen einiger Missgeburten, Mainz* 1791, *fol.*, *p.* 38.

dein novis auxerunt *Superville*, *Baster*, *Süe*, *Hofer*, *Boerhaave*, *Rossi*, *Sachsse*, *Blumenbach*, *Walter*, *Otto*, *Regnault*, *Ribke*, *J. F. Meckel* vel discipulus ejus *Dieckerhoff*, *Maier*, *Behn* et *Köehler*. Hisce si addis similarem monstrositatem, quam *Switzer* noster memoriæ prodidit, en habes omnia hucusque cognita monstrositatis nostræ exempla; quorum tamen nonnulla vel omnino non vel leviter tantum anatomice inquisita sunt, aliorum descriptiones solum ex alienis fontibus haurire mihi licuit, cum originaria scripta nulla via adipisci potuerim, ita casus a *Rossi*, *Sachsse*, *Maier* et *Behn* litteris traditos. Hæcce igitur respicienda, quo magis indulgeatis, si ex iis, quæ collegi atque comparavi, minus maturi redundant fructus.

Ut eo facilior vero fiat conspectus, etiam ibi singula pervagemur systemata et, quæ in singulis observanda, notemus; ut tædiosam autem citatorum librorum reiteratam enumerationem effugiamus, potius hocce loco quasi in atrio litteraturam, delineationes monstrositatis nostræ amplectentem, exponam, ita ut in sequentibus pagellis nomina sola ipsorum auctorum sufficiant, nisi ubi aliquid argumentandi vel refellendi causa accuratior loci citati definitio magis necessaria videri possit.

Litteratura.

Philip. Jac. Hartmanni anatome monstri, in Ephemerid. academ. nat. curios. Dec. II. ann. X. obs. 162. *p.* 258 — 62.

Joan. Henric. Hottingeri de monstro humano etc. ibid. Dec. III. ann. X. obs. 233 *p.* 413 — 16.

Daniel de Superville in: philosoph. transact. for the year 1740 *no.* 456 *p.* 302.

Joh. Baster: ibid. for the year 1750 *no.* 495 *p.* 479.

Süe in: Histoire de l'academie royale des sciences à Paris. ann. 1746 *p.*42.

Joh. Hoferi observatio monstri humani, in actis Helvet. physico - mathemat - anatom.- medicis. Vol. 3. *Basileæ* 1758 4*to p.* 366 — 69.

Abrah. Kaau Boerhaave: historia anatomica infantis, cujus pars corporis inferior monstrosa. Petropoli 1754 4*to.*

Ejusdem historia altera anatomica infantis, etc. ibid. 1757 4*to.*

Rossi: dissertatio inaugur. descriptionem sistens foetus monstrosi Holmiæ nati. Jenæ 1800 4*to cfr. Isenflamm u. Rosenmüllers Beiträge für die Zergliederungskunst.* 1*ster Bd. Leipzig* 1800 8*vo p.* 310 — 12.

Blumenbach: *de anomalis et vitiosis quibusdam nisus formativi aberrationibus. Gottingæ* 1813 *T.* 1. *p.* 7.

Sachsse: *dissertatio sistens descriptionem infantis monstrosæ c. tab. II. Lipsiæ* 1803 4*to cfr.* **Dieckerhoffi** *libr. citat. p.* 20 — 21.

Walter: *Museum anatomicum. Berolin.* 1805 4*to no.* 816 *p.* 122.

Otto: *monstrorum sex humanorum anatomica et physiologica disquisitio. Francf.* 1811 4*to p.* 33 — 42.

Regnault: *descriptions des princip. monstr. dans l'homme et dans les animeaux. Paris* 1818 *pl.* 1.

Ribke *Sammlung anatomischer Præparate. Berlin* 1819.

Dieckerhoff: *de Monopodia dissertat. inaugur. Halæ* 1819 8*vo, ubi p.* 8 — 13 *primum, p.* 18 — 20 *secundum et p.* 22 — 27 *tertium ejusmodi monstrum delineavit; quam dissertationem parum immutatam cum nonnullis additamentis germanice reddidit*

I. Fr. **Meckel**, *sub titulo inscripto: Ueber die Verschmelzungsbildungen, in Archiv für Anatomie und Physiologie* 1826. *Heft.* 2 *p.* 273 — 310.

Maier: *de foetu monopodio dissert. inaugur. Tubingæ* 1827.

Behn: *de monopodibus dissert. inaugur. Berolin.* 1827; *quas utrasque dissertationes solum*

ex relatis mox insequentis auctoris cognitas habeo.

Köehler: *dissert. inaugur. sistens descriptionem monstri humani monopodis cum adjectis nonnullis de monopodia animadversionibus. Jenæ* 1831 4*to.*

Switzer *in:* I. D. Herholdt: *anatomisk Beskrivelse over fem menneskelige Misfostre. Kjøbenhavn* 1829 4*to*; 3*die Iagttagelse. p.* 26 — 34.

---

§. I.

Omnium primum igitur quod ad habitum externum hujus generis monstrorum, partium corporis inferiorum deformitas præcipue et primo intuitu sub oculos cadit. Quæ quamquam in variis nonnihil variat, in universum tamen, rite monente *Dieckerhoff*, contendere licet, semper unicam extremitatem ita consitam esse, ut axi corporis respondeat, atque ita circum axem suam conversam, ut facies ejusdem anterior posteriora versus posterior antrorsum magis minusve spectet. Illud credo ad signa certissima hujus monstrositatis pertinere, atque ideo maxime notandum, ne huc referantur monstra longe alius generis, quibus unica quidem sola inest extremitas infe-

rior, cæterum et quoad structuram et situm sat normalis, omnino deest vero altera sæpe una cum dimidia parte pelvis. Eandem ob causam etiam denominatio Monopodiæ, nostro generi a plerisque recentioribus inscripta, minus apta mihi videtur, cum juxta verbi etymologiam eandem illam simplicem monstrositatem per defectum complectatur; potius antiquiorem titulum Sirenum adopto, etsi in Sirenibus sic dictis ex veterum fabulosis delineationibus cauda retrorsum semper reflectitur; vel, si novum proponere licet, Sympodiam monopodiæ præferendam esse, censeo.

Ut autem ad uberiorem externæ formæ contemplationem recurramus, inferior abdominis pars ex mutilatione ossium pelvis magis coarctata et complanata videtur, immediatim abiens in deformem unicam extremitatem inferiorem, a pelvi usque ad pedem paulatim attenuatam, interdum solito breviorem et ventrem vel latera versus inflexam. Semper mobilitas quædam hujus extremitatis inferioris percipitur non solum in superiore parte, articulationem coxæ indicans, sed in inferiore quoque, articulum genu referens; interdum tertia quidem et plures observantur articulationes, iis scilicet in casibus, ubi normæ propius accedit pes. — Pes nimirum aut omnino nullus est, et cruris extremum tum acuminatum vel quasi clavatum apparet, aut pauciores vel plures inveniuntur particulæ pedis unius utriusve. Ita *Hartmann* pedem unicum vidit, cujus planta, ut fieri solet,

retrorsum spectavit, atque unicum pedis digitum cum unguiculo similem in modum inversum; *Rossi* pollicem digitum, *Regnault* duos, *Walter* quinque, *Sachsse* uti *Köehler* octo, *Dieckerhoff* in tertio suo foetu atque *Behn* decem observarunt digitos. Quod vero notatu dignissimum inversionem sat manifeste ostendere videtur, est illa a *Sachsse*, *Dieckerhoff* et *Köehler* observata dispositio digitorum, qua halluces nempe utrimque externum, digiti minimi autem interiorem locum occupant. Præterea etiam in eodem monstro *Dieckerhoffi* in planta pedis media longitudinalis apparuit incisura, qualem et in anteriore et posteriore facie cruris conspexit *Köehler*. In monstro *Switzeri* duo invicem separati adfuere pedes, quorum sinister tres gerebat digitos, dexter vero minus evolutus duas tantum cutaneas prominentias, speciem digitorum præbentes. Monstri, quod describit *Maier*, crura ad genua usque communi integumentorum velamento obducta erant, unde dextri pedis rudimentum eminuit; pes vero sinister quoad formam et longitudinem regularis fuit. — *Behn* denique, ut refert *Köehler*, extremitates inferiores a norma prorsus alienas tres descripsit, quarum exteriorem sinistram accessoriam vocat, exteriorem dextram cum interiore media (proprie sinistra) coalitam propriam Sympodiæ deformitatem offerre commemorat. Pes unicus, de crure solito angulo non deflexus, decem sustinuit digitos.

Genitalia externa atque orificium ani in genere desunt; attamen, uti in nostro casu indicium saltem externum penis apparuit, sic et ipse *Behn* penem normæ respondentem et scrotum vacuum duabus plane sejunctis plicis constitutum vidit; et anum solito loco apertum invenit *Hofer,* quem in medio osse sacro indagavit *Superville*, dum a *Sachsse* in regione orificii ani apertura detegebatur in saccum coecum, duas lineas longum, conducens et appendicula cutanea cooperta.

In abdomine nil abnorme, nisi quod funiculus umbilicalis, semper duo tantum vasorum lumina præbens, ab *Hartmann* et *Switzer* nimis prope regioni pubis cavitatem intrare inventus sit. In regione lumbari vel sacrali vero sæpius carunculæ vel appendices caudiformes conspicuæ sunt, rarissime tamen ut in nostro casu cum ullo cavo interiore communicantes; amplissimam observavit *Hofer*, quæ ad primam originem sesqui pollicis diametri, conica ad longitudinem $3\frac{3}{4}$ pollicum excurrens, pedetentim angustata in infima parte rugis variis cavitatem perviam primo intuitu mentiebatur, ex homogenea cæterum spongiosa et vasculari massa conflata.

Hæc igitur sunt, quæ vulgo externum habitum partis inferioris corporis deformare solent, atque ideo generi monstrorum nostro magis propria habenda sunt. Ut in aliis autem monstrositatibus ita in hacce quoque haud raro fit, ut plures passim in reliquo corpore occurrant deformitates, a principali ta-

men haud parum alienæ: sic in extremitatibus superioribus *Rossi* et *Maier* defectum observarunt pollicis manus dextræ, dum in nostro casu cutanea sola papilla locum ejus indicabat; *Maier* præterea manum dextram simul varam ulnamque tertia parte breviorem animadvertit; *Süe* contra pollicem manus sinistræ duplicem invenit. In monstro *Switzeri* defuit omne extremitatum superiorum vestigium atque tanta inveniebatur et capitis et trunci mutilatio, quanta vix in ullo monstro maior, ita ut ne facile quidem hoc respectu cum cæteris nostri generis monstris conferri possit. Hisce nempe in universum et caput et thorax solito more composita sunt, inclinatione aliqua columnæ vertebralis dextrorsum excepta, quam observarunt *Boerhaave*, *Sachsse*, *Dieckerhoff* et *Maier*, atque simplici labio leporino, a *Köehler* conspecto.

§. II.

Sceleton partis corporis inferioris monstrosæ consideranti facile mihi in mentem venit, ad duplicem generalem formam omnia referre, perfectiorem nempe, ubi duo inveniantur ossa femorum, imperfectiorem, ubi unicum tantum adsit. Patet enim, cum simplici aut duplici statu femorum necessario nexu cohærere variam formationem ossium pelvis atque varietatem qualemcunque musculorum tum quoad numerum tum quoad decursum

et insertionem. Hac in re igitur cum *Dieckerhoff* et *Meckel* haud plane convenio, qui, ordinem perfectiorem et imperfectiorem quidem statuentes, illi ea adscripserint monstra, quorum extremitas inferior e pluribus ac uni conveniunt partibus composita sit, ad hunce autem ea, quorum unica extremitas inferior manca atque mutilata sit, retulerint, et eandem distinctionem non solum in systemate osseo et musculari requisiverint sed ad vasa, nervos, viscera cæterasque corporis partes persecuti sint. Cum autem, ut in nostro monstro nuperrime vidimus, duplex adesse possit sat perfectum os femoris, anticrure atque pede valde manco conjunctum: cum, vice versa, ut postea demonstrabitur, simplici superne femori duplicata inhærere possint ossa anticruris, neque tamen pelvis aliarumve partium conformatio altiorem indicet typum: porro cum nulla certa ratio inter constructionem ossium cruris et nervorum vasorumque numerum indagari possit, nec ullam denique hoc respectu viscera normam sequantur; minus, credo, evolutio ossium cruris in universum quam numerus ipsorum femorum ad distinctionem qualemcunque statuendam respiciendus videtur, utpote qui, quod supra jam attulimus, quodammodo conformationem pelvis atque coordinationem musculorum indicet; neque illa distinctio ad reliqua systemata jure persequenda videtur. Cæterum eandem ac *Dieckerhoff* et *Meckel* definitionem probat *Köehler*, nomenclatura sola mutata, dum im-

perfectos nimirum illorum Monopodes veros, perfectiores spurios nuncupet; a quo igitur eodem modo dissentimus.

Forma imperfectior.

Pelvis, ut inde egrediamur, semper valde sed varie quidem a norma aberrat, ita ut non solum singulæ partes mutilatæ et concretæ appareant, sed cavum ejus fere omnino deleatur et apertura ejusdem vel plane obliterata vel minutissima inveniatur. Quoad singulas constituentes partes, os sacrum deforme sæpissime ad posteriora mox dextrorsum magis, mox sinistrorsum reclinatur. *Otto* os sacrum ossaque ilium tam singulariter inter se conferruminata vidit, ut singula ossa dignoscere haud liceret; dum *Dieckerhoff* in altero suo monstro os sacrum recte constitutum observavit. Solus *Boerhaave* in priori suo casu os sacrum plane desideravit; quam enim os sacrum suspicatus esset mediam in scuto osseo exsurgentem spinam, nil fuisse nisi ossium ilium partem inferiorem intropressam et concretam, in altero monstro edoctus est[1]), ubi præter simillimam spinam os sacrum sat integrum, solum nonnihil inversum, inveniretur. Quod eo magis notandum esse putavi, cum et *Dieckerhoff*[2]) et *Meckel*[3]), hacce

1) libr. cit. alter. p. 31.
2) l. c. p. 14.
3) l. c. p. 277.

ipsius auctoris emendatione plane neglecta, spinam illam osseam pro osse sacro nuncupaverint.

Ad latera vel sæpius ante reclinatum os sacrum ossa ilium sunt collocata, semper magis minusve concreta. Ita et *Hofer* et *Boerhaave* quasi scutum invenere osseum subrotundum, planum atque erectum, ex plenaria ilium concretione conflatum, solito cæterum minus et cartilagineo limbo succinctum. Simillimum quidem, sed amplius magisque ovale in altero *Boerhaavii* casu occurrit scutum, in quo tamen, ut in primo *Dieckerhoffi*, lunula marginis superioris atque inferioris profunde exscissa manifeste concretionem e duplici parte laterali indicabat; et a marginis extremo inferiore sat magnum extensum erat ligamentum supra cavitatem per incisuram ossis formatam, quod e connubio utriusque ligamenti Fallopii ortum existimavit *Dieckerhoff*. Idem in altero monstro ossa ilium utrinque cum osse sacro conjuncta vidit, structura et magnitudine sat naturali gaudentia et situ tantum a norma declinantia; perfecte enim plana faciem internam sursum, externam deorsum verterunt atque ita sibi invicem obvenerunt, ut non solum apertura superior pelvis minoris plane obliteraretur, sed partes etiam illorum posteriores contiguæ essent.

Ossium pubis atque ischii levia tantum et variante stylo constructa, sæpe mera cartilaginea, inveniuntur rudimenta. Ita *Boerhaave* a spina quadam ossea, ex media scuti facie anteriore assur-

gente, processus brachiorum adinstar antrorsum exire autumat, ubi per synchondrosin more ossium pubis jungantur; et magis posteriora et inferiora versus cum eadem illa spina cohærentia pauca cartilaginea vidit ossium ischii vestigia. Neque aliter *Dieckerhoff* in utroque monstro suo in inferiore ossium ilium parte crassiore processus duos eminere observavit, ita inter se conjunctos, ut soleæ ferreæ formam referrent; infra et pone illos, qui pro ramis ossium pubis habendi erant, alius processus sese obtulit cum incisura cartilaginosa, verosimiliter ossium ischii et acetabuli rudimentum. *Hofer* processum magis transversim decurrentem ossa pubis repræsentasse refert, dum *Hottinger*, nec multo dissimili modo postea *Köehler*, ossa pubis sursum valde elevata, caput fere avis cum rostro suo depingentia, describit. — *Otto* denique ossa pubis retrorsum, ossa ischii introrsum reflexa, invicem et cum osse sacro ita conflata reperit, ut osseum formarent cavi pelvis fundum, in cujus anteriore parte foramina duo obturatoria conspicua erant, magnitudine capitis acus; cum simul ad latera tuberositates ossium ischii exstarent, ibi hocce respectu approximatio qualiscunque ad perfectiorem formam apparere videtur.

Ex hisce igitur omnibus patet, cavum pelvis aut omnino nullum aut perexiguum esse, ita ut exitus ejus in paucis, quibus invenitur, casibus potius foramen quam canalem sistat; ossa pubis

enim, rite monente *Meckel*, numquam ad cavitatem pelvis constituendam adjuvant, dum quæ inter ipsa distinguitur apertura pro unico ex duobus conflato foramine ischiatico habenda est.—Acetabulum, simplici femori conveniens, unicum semper adest, aut, ut *Boerhaave* et *Dieckerhoff* in utroque quisque observarunt monstro, rudimentis ossium ischii inhærens aut, quod *Hofer* et *Hottinger* occurrit, in inferiore ossium pubis parte consitum. *Otto* inter spinam quandam cartilaginosam, ex ossium pubis synchondrosi prominentem, et ossium ischii tuberositates cavum quoddam ceu acetabulum detexit; et *Rossi* denique, qui solus bicipiti femori excipiendo duplex invenit acetabulum, unum in utroque latere ossis sacri conspicuum fuisse autumat.

Quæ adest extremitas inferior semper, ut supra commemoravimus, ita circa axem suam inversa pelvi adhæret, ut facies ejus anterior retrorsum, posterior antrorsum spectet, cæterum situ axem corporis sequens. Quoad singulas ejusdem partes, unicum femur capite gaudet sat globoso, interdum brevi rectoque collo intermedio, in corpus ipsum abeunte; trochanter maior magis ad anteriora vergit, deficiente quam plurimum minore; corpus superne vulgo gracilius infra solito crassius latiusque evadit, in condylos sat normales transiens. — Ab hocce autem typo magis generali nonnullæ tamen observantur deviationes; ita *Hottinger* femur naturali duplo maius invenit, *Boer-*

haave in altero foetu duos trochanteres, in utroque autem inter duos condylos normales atque extra eosdem in anteriora prominentem condylum vidit tertium, cui excipiendo medius tertius inhærebat sinus extremitati superiori tibiæ. Et ipse *Köehler* trochanterem detexit minorem et maiorem; simul autem, quod magis notandum, femur tertia inferiore longitudinis parte in duo divisum erat, quæ per condylos sejunctos normales cum tibiis ita conjuncta erant, ut facies internæ antrorsum, anteriores extrinsecus spectarent. Dum hisce igitur allatis manifeste transitus indicatur quoad inferiorem partem femoris ad formam perfectiorem, in ejusdem parte superiore eadem via demonstratur observatione a *Rossi* instituta, qui femur duobus capitibus instructum ad trochanterem usque bipartitum invenerit. Quo jure autem *Dieckerhoff*[1]), consentientibus *Meckel*[2]) et *Köehler*[3]), eandem observationem a *Süe* reiteratam esse autumet, dirimere nescio; dicta enim ipsius auctoris[4]) respicienti: "— *un femur renversé de devant en arrière; au bas de ce femur etoient placées deux rotules, au dessous desquelles on voyoit le coccyx* —" facile patet, ne verbo quidem talem opinionem suscitari posse. Quare suspicari licet, *Dieckerhoff* leviori manu citatum locum attingen-

1) l. c. p. 15.
2) l. c. p. 281.
3) l. c. p. 18.
4) l. c. p. 42.

tem, rotulos sive patellas pro capitibus articularibus arripuisse, aliosque temere ejus relata reddidisse: suspicio, quæ inde quoque magis corroboratur, quod nemo eorum inter reliqua sua sat accurate collecta de duplici illa patella mentionem fecerit. Neque minus tamen hæcce duplicitas ad rariora hujus formæ pertinet; præter *Süe* enim, nonnisi a *Hottinger*, *Hartmann* et *Köehler* observata est: aliàs patella e duobus vulgo nucleis osseis per isthmum connatis constituitur; solus *Otto* patellam plane desideravit.

Anticrus, inversionem femoris sequens, unum in genere continet os, tibiam nempe supra sat regulariter constructam, inferne autem attenuatam læveque acuminatam. *Boerhaave* tamen in utroque suo casu præter solitos laterales sinus extremitatis superioris tibiæ medium tertium observavit, condylo tertio femoris excipiendo. *Meckel* in altero monstro suo tibiam non in medio crure sed magis ad dextrum consitam vidit, simul autem versus sinistrum latus subrotundam cartilaginem detexit, quam rudimentum alterius ossis existimavit; atque ita facile inde transitus patet ad duplicitatem ossium cruris, a *Rossi* et *Regnault* observatam, quorum ille tibias invenit duas, superne ligamentis arcte cohærentes, infra planitie articulari destitutas, hic autem tibiam et fibulam, tibiamque ex duobus frustulis in medio cartilaginis ope junctis compositam. Longe perfectiorem adhuc anticruris evolutionem observavit *Köehler*, duos nempe

exhibentem tibias, æque ac condyli femoris conversas, fibulamque unam loco posteriore inter tibias collocatam, inferne cum calcaneo conjunctam et processibus articularibus ut diaphysi ipsa duplo maiorem. Neque aliter ejusdem monstri pes evolutione solitum typum longe superat; dum enim vulgo omnia pedis vestigia desunt, dum unica phalanx tantum ab *Hartmann*, *Rossi* et *Regnault* observata est, *Köehler* ossa tarsi invenit, numero quidem et forma imperfecta, metatarsea autem octo normalia, digitosque octo, solito phalangum numero compositos et sola collocatione, ut supra diximus, a norma aberrantes.

Forma perfectior.

Ad formæ perfectioris demonstrationem transeuntes, vix fieri potest, quin desiderio quodam eodemque gravi teneamur, cum casus nimirum nonnulli huc pertinentes, quorum originarias descriptiones (a *Sachsse*, *Maier* et *Behn*) nulla via adire potuimus, nonnisi ex aliorum haud accuratissima semper commemoratione nobis cogniti sint; quare, si vix omnia observata eâ, qua cupimus, diligentia reddere licuit, haud negligentia nostra inculpanda.

Ut autem eodem, quo antea, ordine progrediamur, pelvis ejusque singulæ partes primum respiciendæ sunt, quæ quamquam in universum magis evolutæ sunt, tamen ibi quoque gradationem qualemcunque persequi licet.

Os sacrum quidem in plerisque ut in nostro foetu parte sua inferiore retroflexum, et, quam *Switzer* nimiam existimavit convexitatem posteriorem ossis sacri, nil aliud ac ejusdem retroversum finem prominentem fuisse, uberior inquisitio nos edocuit. *Maier* solus os sacrum transverse consitum, apice sinistrorsum versum observavit.

Ossa ilium vulgo quidem sejuncta sunt, sed plana atque solita inclinatione carentia; attamen *Behn* eadem in unum concreta vidit, cujus dextra dimidia pars sinistra erat maior; *Dieckerhoff* in tertio suo foetu ambo superne per isthmum cohærentia invenit, infra quem vix sesqui lineam a se distabant, simulque dextrum sinistro fere duplo maius; denique *Switzer* ossa ilium ut reliqua pelvis ossa naturæ vidit plane convenienter constructa.

Ossa ischii eodem modo ac in nostro foetu invicem conjuncta viderunt *Sachsse* et *Dieckerhoff*, quorum hicce addit, ramos eorum adscendentes in apices excurrisse, quæ tela cellulosa symphysi ossium pubis connecterentur. Ossa pubis autem haud eundem semper servant typum; in monstro enim, quod descripsit *Behn*, duarum linearum intervallo invicem distarunt, dum *Sachsse* sub angulo acuto eadem concreta observavit. In tertio monstro *Dieckerhoffi* eadem, qua ossa ilium, directione recte deorsum tendunt, ramo horizontali tantum constantia; in parte autem posteriore, ubi cum ossibus ilium junguntur, se invicem attingunt, inde iterum antror-

um divergentia, usque dum per synchondrosin denique cohærent, ita ut apertura superior pelvis minoris 8 formam imitetur.

Cavitas pelvis semper justo longe minor; incisura ischiatica unica, ut nobis, apparuit quoque *Sachsse*, *Behn* et *Dieckerhoff*, in ultimo casu cum posteriore foramine aperturæ superioris pelvis minoris communicans. — Foramina obturatoria duo soli *Sachsse* et *Maier* commemorant, unicum invenit *Dieckerhoff*, ob defectum ramorum descendentium ossium pubis inter ossa ischii et pubis consitum.

Quoad extremitatem inferiorem duplicitas femoris huic perfectiori typo propria constansque est, neque ossa femorum aliter ac cervicis brevitate atque inversione sua a norma aberrant, dum nempe ita contorta sunt, ut anterior facies ad posteriora simulque ad exteriora, posterior antrorsum et magis ad interiora vergat; quam inversionem reliquæ extremitatis partes pari impetu sequuntur. Utrum hoc respectu a solito typo deviet monstrum a *Switzer* descriptum, pro certo affirmare vix audeo, cum ipse auctor talem inversionem vix quæsiverit, et, qui ad naturam sceleton fidelissime delineavit, cl. noster *Klingberg* ossa trunci et extremitatis inferioris separata depinxerit, quoniam manu obstetricante capita femorum ex acetabulis soluta erant atque ita truncus ab inferiore extremitate disrupta. Attamen cum reiterata inquisitione redaptatio ossium femorum et acetabu-

lorum facilius atque accuratius succedere mihi videatur sub illorum situ inverso, cum fibulæ præterea intra tibias collocatæ sint, quod inversionem quoque indicare videtur; suspicari saltem licet, huncce foetum ab analogia cæterorum ejusdem generis haud abhorrere. — Duplici femori duplex respondet patella, quæ inversionem femoris sequens in posteriore vel exteriore latere collocata est; quin *Behn* in femore accessorio, quod supra commemoravimus, os femoris et patellam ad normam detexit.

Anticrus in nostro solo foetu unicam deformem continet tibiam, in aliis autem omnibus, quæ huc pertinent, monstris pluribus ossibus constat, vel, ut *Sachsse* observavit, duabus tibiis unaque fibula interposita latiore et crassiore, quasi e duplici conflata, vel, ut *Dieckerhoff* et *Switzer* viderunt, duabus tibiis totidemque fibulis distinctis, quarum fibulæ, semper interiori cruris lateri insitæ, in *Dieckerhoffi* monstro extremis suis superioribus sibi fere contiguæ erant, dum in *Switzeri* foetu extremis inferioribus concretæ sinistro pedi ambæ infigebantur.

Pedum minime eadem semper evolutio. In nostro foetu, ut supra vidimus, unica tantum digiti phalanx conspicua; *Switzer* dextri pedis loco cartilaginem invenit unciformem, imæ tibiæ inhærentem, in sinistro autem, normæ propius accedente, calcanei pluriumque ossium tarsi et metatarsi cartilaginosa apparent vestigia; *Sachsse* pedem,

e crure recta linea exeuntem, octo refert sustinuisse digitos, solo situ inverso a norma abhorrentes, ita ut halluces externam partem occuparent; et *Dieckerhoff* denique decem ossa metatarsi totidemque digitos omnino regulares conspexit, ita tamen coordinatos, ut halluces extrorsum spectarent, digiti minimi sibi interne contigui essent.

Hucusque igitur formæ distinctione quoad partem corporis inferiorem constituta atque demonstrata, restat adhuc, ut, quod plerique antea neglexerunt, videamus, qualis nostro monstrorum generi ratio sit reliqui systematis ossium; unde facile patebit, in omnibus, quæ accuratiori examinationi subdita fuerint, certas easdemque haud prorsus dissimiles deviationes observatas esse. — Capitis et extremitatum superiorum ossa ad normam ut plurimum composita sunt; interdum tamen singulos manuum digitos, in nostro foetu radium brachii dextri simul cum osse naviculari et multangulo maiore, in *Switzeri* denique monstro extremitates superiores omnino, capitisque maximam partem defuisse, jam supra commemoravimus. Quæ vero trunci partes omnibus rite inquirentibus semper a norma aliquali modo vel numero vel structura aberrare videntur, costæ sunt atque columna vertebralis. Jam *Boerhaave* utramque supremam costam in spinam aculeatam, vix ad sterni cartilaginem exporrectam, abiisse autumat, et tertiam

cum quarta tam capite quam corporis exinde procedentis initio osseo fuisse concretam; itidem *Köehler* costas duas priores utriusque lateris invicem concretas observavit. *Dieckerhoff* in utroque prioris foetus latere tredecim vidit costas, veras octo et quinque spurias, a forma naturali vix alienas; in secundo foetu costas sinistras tredecim invenit normales, dextrarum vero prima, manifeste e duabus constans, in parte posteriori bifida erat; secunda in extremo posteriori cum antecedente concreta, et tertia omnium minima cum sterno non cohærebat. In tertio denique foetu idem costas sinistras tredecim cum totidem vertebris dorsalibus junctas vidit. — *Maier* costas dextras undecim tantum invenit, quarum tertia, quarta, quinta et sexta inter se coalitæ erant; sinistræ contra quatuordecim erant, octo veræ, cæteræ spuriæ, singulæ a singulis distantes. Huic numeri costarum excessui obstat *Switzeri* observatio, qui novem tantum sinistras septemque dextras invenit, quarum tertia et quarta confluebant.

Vertebræ sæpius saltem numerum solitum excedunt; ita *Sachsse* et in primo suo foetu *Dieckerhoff* sex videre vertebras lumborum, hic in secundo et tertio foetu viginti quinque observavit vertebras; *Maier* vertebras dorsi quatuordecim et lumbales sex invenit, dum *Switzer* octo quidem reperit vertebras colli, simul autem novem tantum dorsales et quatuor lumbares. Præter numerum autem etiam forma et structura columnæ vertebralis

sæpius videtur a norma aliquali modo discedere. Ita *Köehler* vertebras colli adfectas vidit, idque tali modo, ut, integris atlante et epistrophæo, quatuor insequentium arcus inter se distantes rariorem spinæ bifidæ speciem ostenderent, quæ præterea singulari quadam arcuum collocatione insigniebatur, naturæ maxime convenienter sic explicanda, ut statuatur, arcum sinistrum quartum ad tertium dextrum pertinere, sinistrum quintum, duplo maiorem, e duobus coalitis consistere, quorum superiorem ad arcum dextrum quartum, inferiorem ad quintum referendum esse, denique arcum sinistrum sextum ad arcus dextri vertebræ ultimæ duplo maioris partem superiorem, arcum nimirum dextrum sextum, spectare; partem autem hujus arcus inferiorem pro dextro septimo habendam esse. — Vertebrarum dorsi in primo suo foetu *Dieckerhoff* talem detexit deformationem, ut prima obliquo situ dextrorsum inclinata esset, et hanc dimidia vertebra exciperet, ex dimidio corpore et uno tantum arcu constituta, ita ut ad primam vertebram tres arcus pertinere viderentur. Vertebra tertia dextro uno et duobus sinistris arcubus prædita oblique dextrorsum spectavit, quarta dextros duos unumque sinistrum gerebat arcum, et quinta simplex duobus tantum arcubus gaudebat, quamquam sinistri magnitudo et duplex processus obliquus indicare videbatur, ex duobus in unum coerevisse. Vertebrarum sex lumbalium in eodem foetu quintæ et sextæ arcus dextri in unum coaliti erant. In

secundo monstro idem viginti quinque corpora vertebrarum cum viginti quatuor arcubus animadvertit; dum *Boerhaave* supremam vertebram lumborum duplici parte laterali, altera supra alteram orta, instructam observavit, quo eodem in monstro vertebra quarta et quinta lumborum et arcubus et corpore plane confluebant.

---

§. III.

Systematis muscularis qualis in Sympodia ratio sit, plurimorum auctorum attentionem effugit, dum nonnulli eorum, uti *Otto*, in eo conquiescerent, ut musculos devia ossa circumdantes a natura omnino abhorrere declararent, alii, ut *Süe*, rei parum propius accederent statuendo, musculos inverso situ ita collocatos esse, ut flexores anteriorem, extensores posteriorem cruris faciem occuparent. Soli *Boerhaave* et *Dieckerhoff*, quantum equidem scio,[1] accuratiorem musculorum delineationem exhibuere, quorum illius observata imperfectiorem, hujus perfectiorem quoque amplectuntur formam. Cum autem

---

1) Ut supra jam notatum, vix omnium huc pertinentium monstrorum originariæ descriptiones mihi præsto sunt.

ex singulis hisce nulla scopo nostro inservientia magis generalia deduci possint, potius, rem in medio relinquens, cuicunque placet illorum scripta commendo, quam ut dicta illorum verbotinus reddens acta reagendo tædium frustraneum et inutile moverem. Sufficiat igitur monere, in forma imperfectiori plerosquè musculos quidem simplices, nonnullos tamen duplicatos vel ex duobus quasi conflatos occurrere, dum in perfectiori, nostro monstro cæterum simillima, ubi anticruris ossa magis evoluta sint, ejusdem musculi quoque, ut observavit *Köehler*, inversione excepta, sat normales appareant. Addere denique liceat, quod notatu dignissimum, in monstro a *Switzer* descripto tam mancam fuisse systematis muscularis evolutionem, ut passim tantum musculorum nonnullorum, ita intercostalium, psoas, iliaci interni et glutæi, distingui potuerint fibræ.

§. IV.

Dum exterior abdominis habitus haud multum a norma aberrat, interior ejusdem perscrutatio multas easdemque constantiores monstrositates offert, partim perturbatam efformationem partim retardatam vel impeditam evolutionem indicantes, quarum conspectus facilitandi causa singula systemata contenta singulariter intueamur.

Organa chylopoietica.

Rarius superior tubi intestinalis pars ulla affecta fuit monstrositate, quæ ubi invenitur, fere semper inferiorem evolutionis gradum demonstrat. Solus *Köchler* ventriculum observavit longum, gracilem, non horizontali sed plane perpendiculari situ, ita ut arcus maior lienem versus, minor dextrorsum spectaret; *Otto* omnia intestina tenuia in sinistro invenit abdominis latere, *Dieckerhoff* magnam eorum partem in vagina funiculi umbilicalis consitam; additque *Meckel*, ubi superior et inferior hujus portionis prolapsæ pars sub angulo acuto conveniant, inde tenuem funem una cum vena amphalo-mesenterica in vaginam funiculi excurrere, atque ita diverticuli ilei speciem sistere. In monstro a *Switzer* descripto, canalis intestinalis, sola intestina tenuia, ut videbatur, referens, quinque pollices longus et superne et infra erat occlusus; dum in eo, quod perscrutatus est *Maier*, intestinum tenue in duas abiit partes, quarum superior 29, inferior $8\frac{1}{2}$ pollicum longitudine coecis suis finibus oppositæ et brevi tantum mesenterii plica ex transverso connectebantur. — Neque sæpius occurrit abnormitas initii intestini crassi; ita solus *Boerhaave* in altero suo foetu processum vermicularem defuisse narrat, atque *Hottinger* coecum præter normam exiguum invenit. — Colon transversum dilatatum et sacco coeco in regione lienali desinens observarunt *Boerhaave*

et *Köehler*; in altero vero *Boerhaavii* monstro colon post primam flexuram in duos abiit tubos, alter post alterum procedentes et septo distinctos. Ubi vero infima inflexione colon sinistra versus tendit, ibidem interior tubus inferior evadit, exterior vero superior, quorum hic primum contractus dein expanditur in corpus membranosum oviforme maius, transversim supra pelvim consitum, ille reflectitur dextrorsum atque abit in membranaceam expansionem minorem, sub maiore insinuatam et in appendiculas duas continuam.

Quæ vero ad Sympodiam fere constans pertinet, est deformitas coli descendentis et intestini recti; dum enim illud in plerisque sacco terminatur coeco, hocce deesse solet. Tamen, ut in nostro foetu rectum inveniebatur clausum, situ solo abnorme, sic et ipse *Otto* cum colo normali duplo longiori rectum sacciforme vidit in curvatura ossis sacri collocatum. *Hottinger* cum in rectum inquireret, rudimenta ejus ceu canaliculum quendam corrugatum sese deprehendisse autumat, qui quatuor digitos longus et supra plane abruptus per os innominatum et sacrum exporrigeretur, in excrescentiam denique fungiformem cutaneam desinens. Ut videtur autem, colon a recto haud rite distinguens, mox idem addit, sese haud longe ab hocce loco versus ventriculum retractum verum rectum clausum et meconio turgescens indagasse. *Süe* rectum pennæ anserinæ crassitudinem adæquans in vaginam apertum vidit: in

Hartmanni autem monstro rectum, pennæ olerinæ ambitus, a colo annulo quasi aut circulo separabatur, contra quem stylus immissus offendebat; exitus ejus in umbilico erat, cui cum vasis umbilicalibus rectum inhærebat, et qua via igitur et flatus et stylus prorumpebant. Neque multo aliter *Behn* tubum intestinalem ad S romanum descendere vidit, unde non ad pelvem conversus sed recta adscendens in funem teretiusculum clausumque abiit, qui cum urethræ fine conjunctus urachi adinstar umbilicum petiit.

Hepar, lien et pancreas rarissime ulla deformitate affecta, nisi huc referre velis, a *Boerhaave* hepar solito amplius, a *Sachsse* valde exiguum inventum esse, simulque magis sinistra quam dextra versus porrectum. In nostro solo casu defuit vesica fellea, dum *Switzer* omnia hæcce organa desideravit. — Omenti, aliàs normalis, nullum vestigium apparuit *Hartmanno*, quod tenuissimum a tela aranearum vix discrepans invenit *Hottinger*.

Ex hisce omnibus igitur elucet, maxime et sat constanter in Sympodia a natura abhorrere inferiorem canalis intestinalis partem, superiore vel omnino integra vel minus invido dente corrupta.

Organa uropoietica.

Organorum uropoieticorum abnormitates, ad constantissimas monstrositatis nostræ referendæ,

varie quidem in variis monstris constructæ sunt, quare vix superfluum videtur specialia quædam distinctius contemplari.

Renes sæpissime ut in nostro foetu una cum ureteribus desunt, vel eorum alter tantum invenitur. Ita Rossi et in uno casu *Boerhaave* sinistrum renem, uretere tamen destitutum, observarunt; et *Dieckerhoff* in tertio suo monstro normalem vidit renem sinistrum cum rene succenturiato et uretere in colon abeunte, in latere vero dextro renis loco organum pari magnitudine, deficiente autem uretere. — Attamen *Hottinger* utrumque renem planum et depressum describit, vasis nervisque instructum, uretere vero carentem; et ipse *Boerhaave* in altero suo foetu renes in lumbis conspicuos refert, a figura quidem et textura solita discrepantes; in lunulam enim vix fuere exscissi, nec dissecti tubulosam sed quasi glandularem vel ea molliorem fere homogeneam substantiam exhibuere, ureteribus plane destituti: ita ut facile cuique in mentem veniat, an non desideratos renes succenturiatos pro renibus habuerit auctor, quod de *Hottinger* jam suspicatus est *Otto.* — Structura vero et forma sat naturales ambos renes invenit *Switzer*, dextrum altius in regione lumbari, sinistrum in symphysi ileosacrali consitum, unde ureter dexter versus sinistrum renem abiens in externa ejusdem superficie terminabatur, sinister vero contraria via in superiorem tendebat dextri

renis marginem, substantiam tamen haud profundius intrans.

Dum renes igitur sæpius desiderantur, notatu dignum videtur, glandulas suprarenales sæpissime omnino integras adesse; tria enim solum afferuntur exempla (*Hottinger*, *Boerhaave* et *Switzer*) plenarii earum defectus, unumque (*Rossi*) ubi sinistra sola inveniebatur.

Vesicam urinariam contra bis solum adfuisse deprehendimus, apud *Hoferum* nempe et *Otto*, quorum ille "vesicam urinariam plane integram, urina plenam, nullumque ipsi exitum præbentem" commemorat, ne verbo quidem de renibus vel ureteribus facto; an igitur inde, ut *Köehler*[1]) placuit, ad horum præsentiam fieri possit conclusio, saltem dubitandum censeo. — *Otto* vero, quo in monstro renes cum ureteribus plane desiderabantur, vesicam urinariam describit, sub ipso sacco coeco intestini recti consitam, decies fere solito minorem, cujus parietes valde incrassati nullam continebant urinam. Eiusdem vesicæ collum retrorsum ossis sacri curvaturam spectabat et eidem membranoso quodam canali, qui mox quidem clausus obstructusque urethram tamen indicare videbatur, infixum adhærebat. — An tertium forsan vesicæ exemplar nobis præbeat monstrum *Köehleri*, affirmare nescio. Extra enim peritonæum in

1) l. c. p. 11.

regione lumbali duo detexit organa, et situ et structura ambigua, quorum anterius rugosum, subrotundum, membranaceum, septem lineas longum, vesicæ urinariæ formam retulit: cavum erat, vacuum, ubique clausum, et nullibi vestigia inveniebantur urethræ, prostatæ vel ureterum. Quo ablato, alterum organum inter venam cavam et aortam consitum, rugosum quoque et membranaceum apparuit, quod externa specie tripartitum videbatur et interne tres sejunctas cavitates, mediam duasque laterales, exhibuit, quarum illa undique clausa, harum utraque, materia meconio tenuiori haud dissimili repleta, exiguo canali per aperturam ossibus ilium et sacro formatam retro decurrente, in prominentiam verrucosam cutaneam sese aperuit. An forsan intestini recti rudimentum, quærit auctor; cui equidem certum offerre responsum vix audeo.

Veram urethram solus *Behn* observavit, cujus e pene normali progredientis finis in vesicæ locum tanquam funiculus teres successit, pennæ corvinæ magnitudinem adæquans, et cum coeco intestini recti extremo umbilicum versus adscendit, illum exiguam modo partem in ventre consitam tubulosam ostendit. Ut videtur igitur, non solum urethra sed vesica et urachus hocce funiculo repræsentabatur.

Organa generationis.

Quærat aliquis, uter sexus in Sympodia prævaleat vel cujusnam sexus pleraque ejusmodi occurrant monstra, neque eredo, eum *Meckelii* effatum affirmaturum esse, qui, quod de monstris in universum contendit, idem nostro generi inculcare conatus sit, sexum nimirum foemineum ibi quoque principalem tenere locum [1]). Ut enim ex sequentibus facile patebit, totidem si non plura mascula eiusmodi monstra sunt inventa, dum nonnulla, omni sexuali indicio privata, ad neutrum quendam, ut ita dicam, sexum referenda sunt. Cum vero, ut supra demonstratum est, rarissime genitalium externorum vestigia appareant, atque ita distinctio sexualis ex internis solis erui possit, hæcce parum accuratius et speciatim examinare placeat.

Nullibi perfecta observata sunt genitalia foeminea, semper aliquid defuit, aliud male erat conformatum. Ita *Boerhaave* in utroque suo monstro ovaria tubasque Fallopianas cum adnexis fimbriis conspexit; tubis vero, ubi angustatæ ad fundum uteri tendebant, levis utrinque adjacebat tuberculus noduli instar, mollis, membranaceus, in quem videbantur singulæ desinere; qui noduli inter se tenui membranosa chordula, transversa sub peritonæo decurrente, cohærebant, et quo loco sub tubis inflectebantur, ibidem ligamenta, uteri rotundis

1) l. c. p. 290.

simillima, procedebant, canales inguinales transgredientia. Cum aliâs nec uteri nec vaginæ indicia adfuerint, noduli illi vix injuste vestigia uteri habendi sunt. Etiam *Süe* duplicem commemorat uterum in vaginam communem simul cum intestino recto convenientem: mirum igitur cloacæ animalium analogon; nescio autem, quo jure *Dieckerhoff* et *Meckel* verba auctoris [1]): "deux matrices," in uterum bicornem mutaverint. *Sachsse*, ut refert *Dieckerhoff*, in ovariis et tubis nihil manci indagavit; sed ex ea, quam occupabant, regione funiculus crassus ad umbilicum usque adscendit, ubi in massam duriorem exibat, laxe cum peritonæo connexam; a tuba autem ductus excurrebat ad corpus quoddam glandulosum, quod per canalem grandem cum uteri fundo cohærebat, simul vero in vaginam parvam sese aperiebat, ab utero versus orificium ani descendentem. *Otto* prope vesicam urinariam uterum describit, magnitudine acini vinacei, cujus cervix retrorsum flexa in crassius aliquod cylindricum, vix cavum autem, corpus desinebat, quod vaginam mentiens retro in ossis sacri curvatura affigebatur. Ex huius uteri fundo tubæ dimittebantur longitudinem pollicis referentes, vix libero fine in pelvim propendentes, sed peritonæo implicitæ et fimbriis destitutæ. Ovaria, ex duabus partibus composita et tubarum finibus adfixa, utrinque sacco continebantur peritonæali, illi simillimo,

1) l. c. p. 42.

qui in masculo foetu ad testes recipiendos formatur. Contra foemininam autem indolem hujus monstri vix immerito dubium movet *Meckel* [1]), suspicans, pro ovariis testes, pro tubis vasa deferentia æstimata esse, atque uterum æquo jure prostatam haberi posse, præsertim cum nulla eiusdem adfuerint ligamenta. Forsan tamen ex analogia monstri nostri confluentes vesiculæ seminales uteri vel prostatæ locum obtinere merentur. Etiam *Hartmann* foemineum suum monstrum existimat, cum in dextro latere altius unicum ovarium pisi magnitudine in conspectum veniret, cui tuba superimposita erat, membranulis ita implicita, ut explicari nequiret, et in progressu suo in ligamentum quoddam gracilescens. Ex hacce vero descriptione semper dubium mihi restare videtur de sexuali distinctione, quod minus, ut auctori placuit, tollitur maiore orbiculo papillæ mammarum nec imperforata quadam appendicula cutanea e regione pubis consita.

Quibus hucusque expositis si addis, *Rossi*, ex relatione *Meckelii* [2]), etiamsi omnia genitalium deessent vestigia, habitum tamen monstri sui femellum invenisse cum rudimentis solis ligamentorum teretium, canali inguinali inhærentibus; en habes omnia sexus sequioris specimina Sympodiæ, quorum duo saltem haud levi dubio premuntur.

---

1) l. c. p. 291.

2) l. c. p. 290.

Neque mascula generationis organa perfectiori stylo condita sunt, ut jam a priori concludere licet ex defectu, quem supra commemoravimus, genitalium externorum et mutilatione systematis uropoietici. Ita *Hottinger* testes observavit mire parvos, fabiformes, in utroque latere ad os pubis absconditos et peculiaribus involucris inclusos, unde vasa deferentia valde intorta supra aortam descendentem repentia progrediebantur, in corpus quoddam callosum, longum teresque (quod vesicæ rudera existimavit auctor, nos vero ex analogia monstri nostri confluentes vesiculas seminales vix non suspicamur) terminata. Hisce materia quædam viscosa sese adsociavit, folliculo proprio inclusa, quam prostatam esse conjecit. *Dieckerhoff* in tertio suo monstro testes duos totidemque detexit epididymides, in ramo horizontali ossium pubis consitos, e quibus funiculi spermatici exoriebantur, qui cum unico uretere coeuntes intestinum rectum petebant. Utrumque testem annulo inguinali interno intra saccum peritonæi inhærentem invenerunt præterea *Behn*, *Köehler* et *Maier*, quorum hic vas deferens commemorat eiusque decursum ad mediam pelvim usque ad anteriorem ossis sacri superficiem, ubi in tela cellulosa abscondebatur. — In monstro *Switzeri* unicus tantum in infima pelvis parte apparuit testis cum epididymide, peritonæo obductus, vasculo vero deferente destitutus.

Hæcce igitur omnia simul cum nostri foetus descriptione animo colligendo, sponte liquet, ex

quatuordecim hucusque commemoratis monstris septem manifestam masculam præ se tulisse indolem, septem sexui sequiori quidem adscripta esse, quorum tamen duo saltem haud pauca dubia de sexuali definitione relinquant; atque ita, credo, cuique elucet, vanum esse illud *Meckelii* de prævalentia sexus foeminei effatum.

Neutrius sexus habendum est monstrum ab *Hofer* inquisitum et alterum *Dieckerhoffi*, cum genitalia et externa et interna plane deessent. Hicce quidem in pelvi canalem quendam utrinque coecum detexit, in quo vesicula rotunda ubique clausa jacebat; sed hæ partes, ut ipse recte monet, pari jure pro extrema intestinorum portione ac pro vagina, utero vel vesica urinaria haberi possunt.

Aliarum corporis cavitatum viscera contenta rarissime præternaturale quidquam ostendunt, ita ut quæ passim occurrant deformationes, Sympodiæ minime propriæ, solum illam jamdudum expositam confirment observationem, plures sæpissime simul abnormitates eidem monstro obvenire. Ita *Hottinger* cor vidit non sinistrorsum sed ad inferiora exporrectum, ventriculumque sinistrum dextro flaccidiorem; *Dieckerhoff* formam cordis planam et subrotundam observavit, septumque ventriculorum perforatum. *Maier* in thorace dextro deformi ac compresso pulmonem vidit sinistro minorem nec lobatum, simulque bronchiorum et arteriæ pulmona-

lis dextrum ramum sinistro angustiorem. In monstro denique a *Switzer* descripto defuere omnia viscera pectoralia, nec nisi levia apparuere rudimenta ipsius massæ cerebri, densa et viscida cellulosa investita.

---

§. V.

Dolendum certe quod auctores, qui monstra Sympoda inquisiverunt, haud semper, quin raro quidem debitam systemati vasculari attentionem tribuerint atque ita accuratiorem eiusdem examinationem plane neglexerint, haud suspicantes quidem, diem orituram esse, quo devio soli systemati arterioso, veluti primo motori, omnes adscriberentur monstrositates. Ex iis autem, quæ sparsim occurrunt, observatis collecta reddere liceat.

Unicum, quod hoc respectu in omnibus hujusmodi monstris constans inventum est atque ideo, si non Sympodiæ unice proprium, tamen inseparabile quodammodo atque certissimum æstimandum, est quod una tantum detegitur arteria umbilicalis; quam nonnulli quidem solito longe ampliorem viderunt, ita *Hartmann* pennam anserinam crassitie superantem atque specie vesicæ oblongæ fallentem, et *Boerhaave* in utroque suo casu duplo fere capaciorem. Solus *Maier* in monstri septimestris funiculo quatuor reperit vasa, quorum unum venæ, alterum arteriæ umbilicali impari respondebat;

reliqua duo admodum exigua vasorum omphalomesentericorum partes egisse existimavit. Eodem quoque pertinet observatio illa *Meckelii*, qua, ut supra attulimus, in vagina funiculi umbilicalis simul cum portione intestinorum tenuium venam detexit omphalo-mesentericam.

Unius arteriæ umbilicalis ortus vulgo immediatim fit ex ipsa aorta; solus enim, quantum scio, *Süe* umbilicalem refert ex unica arteria hypogastrica egressam esse, et *Sachsse* atque *Behn* ex arteria iliaca dextra. Quam sæpissime enim aorta cavum abdominis intrans, dimissis ad normam principalibus suis ramis, mox vel, ut semel tantum in tertio *Dieckerhoffi* factum est monstro, in postrema demum vertebra lumbari in duas finditur partes, alteram maiorem in umbilicalem abeuntem, alteram longe minorem, quasi continuationem ipsius aortæ descendentem et in iliacas denique divisam. Quod ad singulos aortæ abdominalis ramos, phrenici, arteria coeliaca et meseraica superior rarissime a norma aberrant; etiam arteriæ suprarenales sat naturales adesse solent, et quidem normali situ, dum solus *Sachsse* suprarenalem sinistram e bifurcatura aortæ prodeuntem solitoque longiorem animadvertit. Arteriæ renales autem cum renibus ipsis plerumque desiderantur; rarissime vero meseraica inferior et spermaticæ omnino desunt. Nescio igitur, quo ductus *Köehler* defectum meseraicæ inferioris atque spermaticarum, quem ipse quidem observavit, pro vulgari typo statuere au-

deat, cum *Boerhaave*, qui fere unicus omnium vasa abdominalia accuratius inquisivit, in utroque suo monstro vasa illa normalia conspexerit, cum *Hottinger* quoque vasa spermatica a consueta origine porrecta commemoret, cum denique *Dieckerhoff*, qui unus, quantum mihi quidem constat, ipso *Köehler* excepto, defectum meseraicæ inferioris animadvertit, duas ex aorta supra arteriam sacralem sat magnas observaverit arterias, quæ illam compensabant. In nostro foetu, ut supra demonstratum, ea sola horum vasorum abnormitas detecta est, quod meseraica inferior ex ipsa umbilicali originem duxit.

Aortæ in duas arterias iliacas dichotomiam omnes quidem adnotarunt, harum vero uberiorem decursum et ramificationem pauci accuratius inquisiverunt. Attamen ex relatis elucet, *Boerhaave*, *Rossi*, *Sachsse* atque *Behn* arterias hypogastricas desiderasse, dum providus addit *Boerhaave*, arteriam sacralem mediam in multos ramusculos per pelvim dispersam fuisse, et *Rossi* duas arterias glutæis decursu simillimas ex ipsa umbilicali oriundas observavit. Unicam minutiorem hypogastricam invenere *Boerhaave* in altero foetu, *Süe* et *Maier*; neque animadversione indignum est, arterias hypogastricas iis in casibus, ubi adfuerint, justo longe minores in pelvim dispersas fuisse, ita ut, inversa normali ratione, ab iliacis externis valde superarentur. Iliacæ externæ et quæ inde oriuntur arteriæ tam varia via a norma aberrant, ut,

quid singulis in casibus peculiare præbuerint, haud ineptum videatur referre. Ita Rossi utramque iliacam vidit, emissis ramis nonnullis inguinalibus in tres abire partes, ramum superficialem, profundum et externum, quorum superficialis et profundus anteriora versus, externus externum adibat latus. Rami profundi utriusque lateris in truncum communem coiverunt, qui arteriæ popliteæ vices gerens ramos emisit articulares, dein, inter ambo femoris ossa transiens, ad pedem decurrit, ubi in cutem hallucis sese diffudit. — In primo *Dieckerhoffi* monstro arteria cruralis utraque, editis epigastrica et abdominali, in superficialem ad anteriorem et profundam ad posteriorem cruris faciem abiit. — *Behn* sinistram vidit arteriam iliacam minorem ad femur externum seu majus (coalitum) tendentem, dum dextra maior iterum aortæ more in ramos principales duos secessit, quorum alter ad femur accessorium demissus, alter, ramulis ad pelvim dispersis, arteriæ umbilicali æquiparandus versus umbilicum decurrit.

Multæ aliæ abnormitates in decursu arteriæ cruralis sine dubio detegi potuissent, nisi plerique auctores sibi et rei satisfactum esse credidissent, cum arteriam solum ad ipsius e pelvi exitum persecuti essent, de uberiori eiusdem progressu omnino securi.

Restat adhuc, antequam arteriosum systema relinquimus, paucis reddere, quæ *Switzer* de monstro suo tradidit, quamquam ob totius corporis im-

aensam monstrositatem ejusmodi sunt, ut vix cum aliorum relatis deviationibus conferri possint. Arteria nimirum umbilicalis brevem efficiens truncum mox pone saccum peritonæi columnam petiit vertebralem, ubi in duos, adscendentem et descendentem, abiit trunculos. Horum descendens in dextrum et sinistrum ad pelvim dividebatur ramum, quorum dexter duos edidit ad renem sinistrum ramulos; truncus vero adscendens plures suppeditavit ramulos ad renem dextrum, intestina et mesenterium uti nonnullos quoque intercostales, et ad quartam circiter vertebram dorsi e sinistro ejusdem latere ramus exiit sat amplus, ut videbatur, canalem spinalem intrans atque arteriam vertebralem quodammodo compensans; similis, longe minor quidem, ramus etiam in dextro latere conspicuus erat. Ad infimam vertebram colli adscendens ille truncus in duos sub angulo acuto diffindebatur ramos, quorum alter dextram alter sinistram adiit basis cranii partem et in telam cellulosam diffundebatur.

Systema venosum, ad hodiernum usque diem arterioso longe postpositum, veluti in universum attentione minus dignum æstimatum est, sic in nostro quoque monstrorum genere a plerisque inquisitio ejus plane neglecta est, cum in eo fere omnes conquiescerent, ut venas arteriis respondere sibi aliisque persuaderent. Cui rei absque dubio tribuendum videtur, quod rarissima sunt, quæ de venarum aberrationibus nobis tradun-

tur. Ita *Hartmann* venam cavam inferiorem manifestis divaricationibus conspicuam invenit, sed ramo, qui ad sinistrum, admodum exili, grandiori longe, qui ad dextrum latus vergebat; et *Boerhaave* e vena cava ad supremos lumbos oriundum vidit ramum maiorem, qui, sub diaphragmate pectus ingrediens, acceptis venis intercostalibus, in venam subclaviam dextram sese effudit, atque ita munere venæ azygos functus est. — Sat mirabilis vero totius systematis venosi deformatio in foetu *Switzeri* occurrit. Vena enim umbilicalis in quatuor dispergebatur ramos, quorum unus descendens duos edidit ramulos ad internam faciem ossis sacri, alter, magis transversim decurrens, sinistrorsum in cellulosa infra costas diffundebatur, tertius dextrorsum tendens utrique reni ramulos impertivit. Quartus denique pone saccum peritonæi adscendens intestinis ramulos suppeditavit atque dein, juxta columnam vertebralem decurrens, ad primam vertebram dorsi in duos diffindebatur ramos, quorum quisque iterum in duos abiit, longiorem et breviorem; horum longior, cavo pectoris transgresso, in rudimenta cranii dispergebatur, dum brevior in regione primæ costæ tenuissima evanuit: atque ita quartus hicce ramus principalis similitudinem qualemcunque sistit cum vena cava superiore, utpotequæ venas jugulares, subclavias aliasque excipiat. Ad extremitates autem inferiores nulla hoc in foetu indagari potuit vena.

§. VI.

Systema nerveum, a plerisque neglectum, a paucis leviter tantum commemoratur, ita ut vix aliter, credo, quam fragili analogia fretus generalem illam observationem exponere potuerit *Köehler*[1]), nervos crurales et ischiaticos adesse solere. Ex accuratissima enim quoad cæteras corporis partes descriptione *Boerhaavii* elucet quidem, nervos crurales per musculos cruris fuisse dispersos; nervi ischiatici vero solum in priori casu mentionem facit ita, ut caudam equinam referat in plures nervos distinctos exire, quorum bini anteriores, ex ramulis collectis robusti, ad musculos psoas ischiatici tendant, reliqui minores vero ad femur et crus porrigantur; in altero autem monstro fibrillas tenuissimas copiosas, extremum medullæ spinalis sistentes, partim ipsi coccygi adfixas, partim ad partes adjacentes et crus dispersas fuisse autumat. — *Dieckerhoff* in primo suo monstro utrimque cruralem tantum et obturatorium invenit, quorum ille in omnes musculos et extensores et flexores dissipatus pro deficiente nervo ischiatico quodammodo vicarius fuit, hic infra os pubis procedens in musculos adductores ramos emisit. In tertio autem ejusdem monstro ambo præterea ischiatici adfuere, sibi admodum propinqui inter femora sub cute decurrentes; ramus

1) l. c. p. 15.

eorum cutaneus communis inter crura quoque descendit, dum ipse truncus in superficiem anteriorem, proprie posteriorem, regularem igitur decursum tum quoad musculos tum quoad ossa secutus, inter femora emergit. — *Köehler* defectum nervi obturatorii, præsentiam vero utriusque cruralis atque ischiatici observavit; ischiatici autem arcte invicem cohærentes et speciem unius simulantes, secundum medium femur ad crura decurrere. — Uti nos denique, ita *Sachsse* et *Behn* unum tantum, ex utroque confluentem nervum ischiaticum invenerunt, posteriore loco e pelvi egressum, et in postica extremitatis facie inter utrumque femur decurrentem.

De centralibus autem systematis nervei organis solus *Switzer* memoriæ prodidit, intra mutilata ossa cranii massam quandam medullarem detectam esse, densa cellulosa inclusam, nullos vero ramos nerveos emittentem; et in ipsa canali spinali corpus quoddam medullare exporrectum fuisse, unde rami anteriores nervorum intercostalium exierint, denique caudam equinam quoque simul cum nervis nonnullis pelvalibus adfuisse. De nervis autem extremitatis inferioris cum ipse taceat auctor, ad eorum absentiam forsan concludere licet.

Ex illo igitur, quem hucusque statuimus, comparativo variorum systematum conspectu facile, credo, cuique elucet, omnia Sympodiæ

specimina, unum principalem quidem typum sequentia, tamen gradationem simul qualemcunque sistere, ita ut ex variis partibus diversisque viis transitus ad normam solitam pateat. Qui hancce ad naturam approximationem per alias monstrorum species persequi studet, cum *Meckel* [1]) absque dubio talem iis in monstris indagare possit, in quibus nulla quidem concretio, sola autem inversio vel completa vel incompleta adest extremitatum inferiorum; vix multi autem, quantum equidem prospicio, cum eodem auctore aliam ingredirentur viam, quam inter Sympodiam et regulam naturæ ipse munivit; dum enim, ut omnibus constat, sæpe cum atresia ani pelvis parum coarctata observetur, inde deducendum putavit, [2]) præter extremitatum inversionem per simplicem quoque ani atresiam, quasi altero tramite intermedio, monstrositatem nostram ad normam revertere.

---

1) l. c. p. 301.
2) ibid. p. 304.

Caput tertium.

De nulla re, ut constat, magis quam de causis et origine monstrositatum in diversas partes disputatum est, et, si nil aliud, jam variarum opinionum copia ad probandum sufficeret, veritatem nondum inventam esse, quæ aliàs hypothesium turbam jamdiu refutasset. Hocce igitur loco præcipuas tantum et principales de origine monstrorum propositas sententias, quam brevissime fieri potest, animo perlustrare conabor, ut inde intelligatur, quæ sit earum vis ad Sympodiæ formationem illustrandam.

§. I.

Ævo præterlapso, quo, superstitionis nebula late circumfusa, influxui Dæmonum, Sirenum, Satyrorum etc. vel amplexui sodomitico uti monstra in universum ita nostra species quoque tribuebatur, cum jamdudum incuria illa annihilata esset, qua monstra intuentes in eo conquiescerent homines, ut cum Plinio, ludibria sibi, nobis miracula ingeniosa naturam fecisse, persuasum habe-

rent: inter primas et per longam annorum seriem prævalens viguit illa de monstrorum origine opinio, monstra nempe jam ante foecundationem in germinibus depravatis præexistere, postea autem in vitam tantummodo vocari atque sensim incrementum capere. Neque ab hacce sententia quoad nostram monstrositatem omnino abhorrere videtur *Boerhaave,*[1]) cum in staminibus, sic dictis, primitivis perversam obtinere posse figuram, vix quemquam jure denegare credat, nisi qui in minimis recuset admirari, quæ sponte in maioribus apparent. — Quæ sententia autem cum illa a *Blumenbach*[2]) maxime repugnata et postea plane corruta germinum præexistentium evolutionis theoria nimis arcte cohæret, quam ut ullam hodie refutationem requireret.

---

§. II.

Inter omnes vero de monstrorum formatione theorias vix ulla ad hodiernum usque diem acrius defensa est magisque pervulgata proserpsit quam ea, qua commotioni animi maxime imaginationi maternæ monstrositates adscriptæ sunt; et mirum sane, quod in Sympodia vix sæpius huncce

---

1) libr. prioris p. 86.
2) *Ueber den Bildungstrieb* *Göttingen* 1791 *8vo.*

fontem adierint auctores. Ne autem, rei dignitati viribus impar, ibi ne apto quidem loco, quæ de illa sententia in universum pro et contra innumera allata sunt, recenseam, mihi jam sufficiat inquirere, an nostra monstrositas psychicæ affectioni maternæ tribuenda sit necne. Neque facile, credo, quisquam aliter ac denegando litem dijudicaret; in duobus enim solis, quantum equidem cognovi, casibus affectio hujusmodi materna monstrositatem foetus provocasse refertur: ita *Hottinger* [1]) ad quinti graviditatis mensis finem foeminam intuitu ossis denudati, post pedis amputationem relicti, tam perculsam esse tradidit, ut, aliquamdiu absentis memoriam infixam retinens, justo gestationis termino monstrum Sireniforme in lucem prodiderit; et *Hartmann* [2]), nullo graviditatis tempore constituto, gravidam matrem a jurgiis æstuantem, quibus cum vicina contenderat, mure ex improviso obvio tam graviter exterritam fuisse narravit, ut partu insequente tempestivo monstrum suum enixa sit. — Quis autem, quantumvis mente captus, ullam indagare possit similitudinem inter murem et reliquia pedis amputati? quis inter utrumque et deformationem crurum, pelvis viscerumque monstrorum ipsorum? — quis denique sibi persuaderet, etiamsi aliqua fuisset simi-

---

1) l. c.

2) l. c.

litudo, normalem foetum quinquemestrem vel maturiorem sola imaginatione vel terrificatione matris tantam subire posse metamorphosin?

§. III.

Neque magis certe illorum sententiæ inclinat animus, qui uti monstra in genere sic nostra quoque mechanicis causis deformantibus vel destruentibus tribuere studuerunt. Ita *Boerhaave* [1]) originem monstri sui mechanico aliquali modo sic statuendam putavit, ut partes foetus solidiores, prægressa extremitatum inferiorum rotatione inversa, ad se invicem applicatæ, dein compressione concretæ et ingressu quasi unius in alterum conglutinatæ, molliores interpositas partes mutaverint, deformaverint, concrescere fecerint et mutilando tandem plane destructas deleverint. Etiam nostro ævo *A. Meckel* [2]) de ejusmodi monstrorum ortu tam persuasus est, ut, physiologicis rationibus ductus, vix multum dubitet, quin fieri posset, ut, si apta nobis remedia ad embry-

1) l. c. p. 80 etc.
2) *Ueber die Ursachen der Missbildungen. Bern* 1824, *8vo p.* 21.

onem cavo suo naturali inclusum mutilandum præsto essent, inter alia monstra etiam Sympoda progredierentur. Quin eousque illi mechanurgiæ fautores abiere, ut obstetricem quendam jure suo irrideat *I. F. Meckel*[1]), qui, Sympodiam eandemque imperfectissimam sub ipso demum partu transgressu tardiori et laborioso infantis normalis sisti, contenderit.

Etiamsi vero vix denegari possit, embryonem, mechanicis læsionibus in utero obnoxium, ut sæpius quidem morti succumbere, ita nonnumquam quoque varias inde retinere abnormitates; tamen, ne ultra justos fines spatier, in Sympodia, confiteor, illam mechanicam originem longe abest quam ut probandam censeam. Primum enim similitudo, constantia principalis typi, regularitas, ut ita dicam, monstrorum ipsorum accidentali illi e causis mechanicis origini haud parum obstare videtur; dein si violentia quadam organa, quæ inveniuntur, deformata, quæ desiderantur, destructa essent, suis locis tamen cicatrices vel alia destructionis vestigia indaganda essent, quæ tamen a nemine umquam observata sunt. Tum, ne multas alias sæpius quidem occurrentes deviationes persequamur, quæ a mechanica origine tam alienæ sunt, ut eas ipse *Boerhaave*[2]) alii causæ effi-

1) l. c. p. 305.
2) l. c. p. 85.

cienti adscribendas esse fateretur: ut de centrorum circulationis, cordis hepatisque, in *Switzeri* monstro defectu taceamus; constantem solum omnibusque hujusmodi monstris communem respiciamus defectum unius arteriæ umbilicalis atque alterius præsentis quasi continuam ex ipso desinente arteriæ aortæ trunco propagationem. — Num hæcce quoque systematis arteriosi abnormitas mechanicis potentiis tribuenda est? vel quomodo, quærere liceat, ageret mechanica illa vis, ut e duplici arteria umbilicali ex utraque hypogastrica ad normam exorta, hisce salvis, unica evaderet, e medio aortæ trunco quasi continuata? — Denique, ut supra vidimus, præter deviationes, ad Sympodiam strictius pertinentes eique quodammodo magis proprias, aliæ sæpius variarum partium abnormitates concomitantur, quæ, retardationem evolutionis manifeste præ se ferentes, minus alienatam quam impeditam efformationem demonstrant, atque ita perturbationem totius organisationis ad primam embryogeniæ periodum restringere videntur. Huc referenda sunt, ut in nostro foetu defectus vesicæ felleæ et medullæ spinalis in infimum ossis sacri extremum propagatio, ita perpendicularis situs cordis ab *Hottinger*, ventriculique a *Köehler* observatus, intestinorum tenuium omnes, quæ supra comme-

moratæ sunt, abnormitates, vasa omphalo-mesenterica a *Meckel* et *Maier* detecta, cloacæ analogia, quam describit *Süe*, labium leporinum, a *Köehler* inventum, aliaque plura. — Quæ omnia, duce embryologia hodierna, inferiorem evolutionis gradum manifeste indicantia quasi primæ embryogeniæ periodi reliquia habenda sunt.

---

§. IV.

Hucusque igitur expositis, quæ quoad originem monstrositatis nostræ deneganda sunt, restat denique afferre, quænam probabiliora videantur. Nuperrime autem diximus, multas abnormitates concomitantes de prima embryonis vitæ periodo monere, et addere licet, ipsam Sympodiam, docente anatomica examinatione, ejusmodi esse, ut non ex post fiat sed primigena una cum foetu eodem tempore formetur; vix enim ulla cogitari potest vis, quæ, sit qualiscunque, per certos gradus, eundem tamen semper typum sequens, in embryone jam ad normam constructo simul cum reliqua mutilatione semper extremitatum inferiorum inversionem provocaret. Sic igitur ad primum embryogeniæ momentum repetere coacti, guttula sola, sensibus nostris homo-

genea et ovulo suo inclusa, omnia animalis futuri primordia constitui videmus. Huic guttulæ quasi materiæ substratæ vis vitalis quædam inhæret, qua regnante, juxta inseparabilem et necessariam ideam, sit venia verbo, principalem singulorum organorum lineamenta conduntur, efformantur, sensim evolvuntur et ad maturitatem denique increscunt. Eadem est vitalitas genetrix atque gubernatrix, quæ, variis denominationibus baptizata, omnium seculorum dogmata percurrit, ita ut veterum anima, spiritus et idea mundi, idea operatrix, flamma vitalis et vis plastica, recentiorum vis essentialis, nisus formativus, chrystallisatio vitalis vel organica vis mera synonymata sint ejusdem causæ principalis efformationis et evolutionis vel, uno verbo, vegetationis organismi futuri. Illa vi vitali autem qualicunque causa vel quantitative vel qualitative immutata, vegetatio ipsa a norma aberret necesse est, ita ut vel efformatio ipsa a principali illa idea quodammodo deviet, vel evolutio efformatorum limitetur sive retardetur, atque utraque via monstrositates varii quidem generis inde oriantur. At ne in illa quidem a solito tramite digressione temere circumvagatur natura nec in immensum ludit, sed justa classificatio et graduatio similarium monstrorum aperte dedocet, etiam tum vegetationi certos limites statutos esse certasque regulas, sub commodis conditionibus necessitatis vinculo constrictas; ita ut vix omni jure

destitutus hæcce verba fecerit *Montaigne*[1]): „ce que nous appelons monstres ne le sont pas à Dieu, qui voit dans l'immensité de son ouvrage l'infinité des formes, qu'il y a comprises." — Quænam autem sint variæ illæ conditiones, e quibus variæ organismi monstrositates dependent, vel quomodo agere debeant, ut alius cyclops, alius Siren, aliusque aliter deformatus evadat, sphæram scientiæ humanæ adhuc longe superat.

---

§. V.

Scimus quidem, maxime ex systemate vasculari solatium imbecillitati suæ hausisse recentioris ævi physiologos, dum causalem quæsiverint nexum inter primigenam, ut credunt, deviationem arteriarum et secundariam organismi monstrositatem. Ita *Tiedemann*[2]), eodem modo ac in statu rerum normali omnia organa ex systemate arterioso quasi efflorescere docuit, in monstroso prævia arteriarum irregularitate organorum deformationem effici existimavit; neque multo aliter *Serres*[3])

---

1) *Essais. Tom. trois, Paris* 1802, *8vo, liv.* 2, *cap.* 30 *p.*137.

2) *Fred. Tiedemann, Anatomie der kopflosen Missgeburten, Landshut* 1813, *fol. p.* 105.

3) *Essai sur une théorie des monstruosités animales, Paris* 1821.

specificam suam cuique arteriæ functionem inesse demonstrat, et efformationem atque evolutionem cujuscunque organi e præsentia et justa conditione arteriæ ejusdem dependere; inde quoque fieri, ut luxuriantis vegetationis producta loco semper respondeant, ubi sedem agnoscant, ita ut ex. gr. numquam crus in superiori, brachium in inferiori trunci parte occurrat. Denique et ipse *Geoffroy St. Hilaire* [1]) eandem sententiam fovet, dum causam proximam perturbationis circulationis atque ita monstrositatum in genere in præternaturali quadam membranacea adhæsione inter embryonem ipsum et membranas placentares quærit.

Tota autem illa de mediante systematis arteriosi perturbatione opinio, etiamsi omnia vera essent certaque, minorem tamen monstrorum origini lucem præbere videtur; ut sponte enim patet, quæstio solum parum ulterius prorogata in eam convertitur, quænam principalia et originaria momenta abnormitatum systematis arteriosi statuenda sint. At, si rem ipsam paulo propius consideramus, nullo modo constans invenitur, quæ ab illis constituta est, arteriarum et reliqui organismi abnormitatibus interposita ratio. Ne enim extra limites Sympodiæ vagemur, quomodo duplicitas regularis arteriæ iliacæ et cruralis cum partiali vel totali

1) *Considérations générales sur les monstres, Paris* 1826, *8vo, p.* 18.

confluxu extremitatum inferiorum convenit? ut autem in nostro solo foetu sistamus, quomodo justus decursus arteriæ cysticæ, deficiente vesica fellea, vel arteriæ radialis et interosseæ præsentia, radii nullo vestigio apparente, cum illorum de specifica arteriarum functione theoria cohæret?

Easdem certe objectiones offenderet, qui e nervis, ut illi ex arteriis, monstrositatum originem peteret; ita ut, tanquam in embryogenia normali eo maxime animus inclinat, ut quodcunque organum per se, nec ab aliis dependens, juxta typum specialem atque proprium efformari et evolvi putem, et tum demum, cum, universali corporis evolutione magis progrediente, necessaria fiat functionum complicatio, mutuam actionem cum cæteris inire: sic in monstrorum origine magis typum quendam generalem quam singularis cujusdam systematis principalem deviationem respiciendam esse censeam.

§. VI.

Hisce igitur de monstrorum origine causisque absolutis, paucas quasdam adnotationes, monstrositate nostra provocatas, sub calcem adjungere liceat.

Recentiori ævo, ut constat, eo multorum phy-

siologorum sagacitas abiit, ut, analogias inter varias corporis monstrositates et regularem inferiorum animalium organisationem indagantes, eam suffulcirent sententiam, embryonem humanum, antequam organisationem formamque foetus humani assequatur, seriem inferiorum animalium quasi per varios gradus percurrere. Neque latet, maxime *J. F. Meckel* summos tribuendos esse laudes, quod in monstris ex impedita et retardata evolutione analogiam illam accuratissime persecutus sit atque demonstraverit. Ut autem hæcce analogia cum evolutionis doctrina in concentum rite conveniat, ne ultra limites hujus monstrorum classis excurrat, cavendum videtur; aliâs enim, omni causali illo nexu soluto, mera, nec plus ac mera, fit analogia, quæ, quibus placet, sat jocosa nullam tamen nec embryogeniæ normali nec monstrosæ lucem affert. Quamobrem in Sympodia quoque, quam minime ex retardata evolutione sed perturbata efformatione exoriri ipse professus est, si analogiam illam quæsivit et ad minutissima usque persecutus est *Meckel* [1]), vix indolem ejus illustravit, sed imaginem solam analogam ex diversissimis animalium classibus composuit, haud parum de *Horatiano* [2]) illo pictore monentem, qui

---

1) l. c. p. 307.

2) Epistol. libr. II. epist. 3. v. 1—5.

"Humano capiti cervicem — — equinum
Jungere — velit, et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne. —"

Singularum igitur Sympodiæ abnormitatum analoga afferre, inutile duxi, cum, cui placeant, a *Meckel* collecta sint, et plura forsan addat, qui cum *Geoffroy St. Hilaire* 1) specie recti tam deceptus habetur, ut vituperandum existimet, si quis in humani monstri examinatione, cogitando præoccupatus, monstrum a foemina editum esse, formam humanam requireret.

---

§. VII.

Ab *Hunter* 2) primo observatum est, quibusdam animalibus certas quasdam monstrositates frequentiores magisque proprias accedere; quæ observatio quodammodo Sympodia ipsa affirmatur, cum, auctore *Meckel* 3), nullibi in animalium serie obvia, humano generi propria habenda sit. Neque minus tamen e dictis nonnullis *Boerhavii* 4) suspicandum vide-

---

1) l. c. p. 7.

2) *Bemerkungen über die thierische Oeconomie, aus dem Engl. von Scheller übers. Braunschweig* 1802, *8vo*, *p.* 83.

3) l. c. p. 309.

4) libr. secundi p. 80.

tur, similarem quandam monstrositatem in variis animantibus ab ipso inventam esse, cum ita: "Vidi," inquiat, "pullos et servo quadrupedes, quorum bina posteriora crura, similiter juncta, modo perfecte eodem cum osse coccygis articulantur." — De interiori autem indole vel propiori analogia horum monstrorum, cum taceat ipse auctor, nil uberius addere possumus.

---

§. VIII.

Denique adhuc medico forensi Sympodia ideo notanda, quod, dum plerique quidem mortui septimestres vel maturi editi sunt foetus, nonnulli tamen per brevissimum quidem temporis spatium vitam sustentarunt. Ita *Hofer*, monstrum suum maturum tribus post partum momentis mortuum esse, memoriæ prodidit; *Hartmanni* ad nonam antemeridianam (partus horam commemorare omisit), pulticulæ tantillo assumto, vitam vagitibus protraxit; etiam, quod *Maier* descripsit, monstrum septimestre aliquot post partum horas vixit, et, quod maturum delineavit *Süe*, post sextam demum exspiravit horam. Denique prior foetus *Boerhavii*, quem, partium comparatione instituta, fere septimestrem fuisse judicavit, omnia signa hominis neonati vivi exhibuit, quin liquidum pro-

pinatum pluries avide deglutivit, usque dum, viginti quatuor horis præterlapsis, humore mucoso ex ore effluente, morti occubuit.

Nostrum monstrum utrum post partum brevi vixerit necne, pro certo definiri nequit, cum nulla ejusdem historia nativitatis exstet; attamen, etiamsi funiculus umbilicalis ligatura constrictus parum exsiccatus videatur, quantum post tot annorum moram ex internis organis concludere licet, nulla vitæ prægressæ signa præbet.